Vienna 1721. Kreuzer - 25
BLIOTECA NAZ.
XVII
A
48
NAPOLI
XVIII
A
6
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVII
A
45
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVICULUM
PRAXIS
IMPERIALIS
AULICÆ,

ex

AUREA BULLA,

Receſſu Imperii de

anno 1654.

Capitulatione Imperatoris

JOSEPHI,

Concordatis Germaniæ

ET

Decretis Communibus

collectum.

Cum Privilegio Cæſareo.

FRANCOFURTI ad MOEN.

Apud JO. PHILIPP. ANDREÆ.

M. DCC. IX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III.

Digitized by Google

Reverendiſſimo, Illuſtriſ-ſimo & Excellentiſſimo Domino,

DOMINO

FRIDERICO CAROLO,

Sacri Imperii Comiti de Schönborn,

Domino de Reichelsberg & Weiler &c.

Epiſcopatûs ac Principatûs Bambergenſis Coadjutori, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario intimo, & Imperii Vice-Cancellario;

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

Reverendisſime, Illuſtrisſime & Excellentisſime Domine, Domine Gratioſisſime.

CÆſaris & Imperii OS eſt Excellentia Veſtra, OS eſt Celſisſimi Conſilii Imperialis Aulici. BREVICULUM igitur hoc, utut exiguum & ab Amanuenſi ſimplice compilatum, ex lege tamen & ad ſolum memoriæ levamen, ac peram adaptatum, pro innato ſuo juſtitiæ zelo, cordatâ di-

)(2 ſer-

Digitized by Google

ſertiſſimæ linguæ ſuæ ELOQUENTIA, probè conſtanterque obſervandum ſuadeat, commendet, urgeat: Cæterùm verò diu proſperèque vivat, &, uti verè meretur, ad EMINENTIORA procreſcat, ac Amanuenſi benignè faveat, utpote

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Humillimo ac devotiſſimo clienti,

JOSE-

JOSEPHUS, Divinâ favente Clementiâ electus

Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis, quod, cùm Nobis Noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Philippus Andreæ Bibliopola Francofurtenſis humillimè expoſuerit, ſe Breviculum Praxis Imperialis Aulicæ Authoris conſenſu typis dare ſtatuiſſe, vereri autem, ne, quòd fieri ſoleat, alii etiam Bibliopolæ & Typographi quæſtûs causâ fraudulenter, & magno diſpendiô ſuô, prœlo committant, diſtrahant, atq; venundent, ideoq; Nos ſupplex orârit, ut ſibi Privilegiô Noſtrô Cæſareô, contra omnes ejusmodi fraudes proſpicere dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter & æquæ petitioni huic annuendum cenſuerimus; quapropter omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & Bibliopegis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus firmiter ſerioq; inhibemus, & vetamus, ne quis dictum Breviculum Praxis Imperialis Aulicæ per trium annorum ſpatium, ab hodierna die inchoandum, in Sac. Rom. Imperio, Regnorumq; & Provinciarum Noſtrarum finibus, ſimili, aut aliô typô vel formâ, aut ſub quovis vel additionis, correctionis, alióve prætextu, ſive in toto ſive in parte recudere vel aliò recudendum dare, alibi impreſſum apportare, vendere, vel diſtrahere, clam vel palàm, citra voluntatem, & abſq; Authoris ipſiusq; Joannis Philippi Andreæ expreſſô &

in ſcriptis obtento conſenſu & licentia, præſumat; Si quis verò ſecùs faciendo privilegium & interdictum hoc Noſtrum Cæſareum violare; aut transgredi auſus fuerit, eum non modò ejusmodi libris, perperam quippe recuſis & adductis, quos quidem prædictus Joannes Philippus Andreæ ejusque hæredes, & ſucceſſores ubicunque deprehenſos, ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs auxiliô ſibi vendicare poterunt, de facto privandum, ſed & inſuper quinque marcarum auri puri, Fiſco Noſtro Cæſareo & fraudis vindici ex æquo pendendarum, omni ſpe veniæ ſublatâ decernimus mulctandum, dummodò tamen ſupra dicti libelli quinq; exemplaria ad Conſilium Noſtrum Imperiale Aulicum exhibeantur. Mandamus proinde Univerſis, ac ſingulis Noſtris & Sacri Imperii, Regnorumque & Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuscunque ſtatûs, gradûs, ordinis aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſœcularibus, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel propriò vel Superiorum ſuorum nomine & loco, Juris & Juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum, temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos compererint, præſcriptâ pœnâ plecti aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenùs & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum Teſtimoniô literarum, manu noſtrâ ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in civitate Noſtra Viennæ trigeſimâ Aprilis Anno milleſimo ſeptingenteſimo nono, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo, Hungarici vigeſimo ſecundo, Bohemici verò quarto.

JOSEPHUS (L.S.)

Vt. Frid. Carl Com. de Schönborn.

Ad Mandat. Sac. Cæſar. Majeſtatis proprium.

Franciſc. Winand. de Bertram.

ORDO

ORDO
TITULORUM.

Titul. I. De Conſilio Imperiali Aulico.
II. De Præſidis munere.
III. De Archi-Cancellarii Imperialis Pro-Cancellario.
IV. De Referentis munere in genere.
V. De Referentis munere in cauſis volunt. juris?

VI. De Adoptione & Arrogatione.

VII. De Emancipatione.

VIII. De Legitimatione liberorum.

IX. De Notariorum creatione.

X. De Teſtamentorum oblatione & publicatione.

XI. De Unionibus, confraternitatibus & contract. famil.

XII. De Venia ætatis.

XIII. De Jure pedagii.

XIV. De Privilegio Impreſſorio.

XV. De Conſervatorio, Protectorio, Salva Guardia & Salvo Conductu.

XVI. De Moratorio.

XVII. De conſenſu ad alienandum vel hypothec. feuda.

XVIII. De Inveſtitura.

XIX. De Promotorialibus.

XX. De Referentis Munere in contentioſis, & de Commiſſione ad Auſtregas.

XXI. De Commiſſione Aulica.

XXII. De Commiſſione ad examin. teſtes & ad perpetuam rei memoriam.

XXIII. De Citatione in genere.

XXIV. De Citatione ex L. diffamari.

XXV. De Citatione ex L. ſi contendat.

XXVI. De Beneficio debitoris, & citatione ad videndum ſe admitti ad beneficium authenticæ, hoc niſi.

XXVII. De Citatione ad Reaſſumendum.

XXVIII. De Citatione ad aſſiſtendum liti.

XXIX. De Citatione ſuper fracta pace Religioſa.

XXX. De Citatione ſuper fracta pace publica.

XXXI. De Citatione ad ſe purgandum juramento in puncto fractæ P.

XXXII. De Citatione ſuper pignorationibus.

XXXIII. De Citatione ob continentiam cauſæ.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. De Citatione ob litigioſam poſſeſſionem.

XXXV. De Citatione ad videndum confirmari & exemplari contractus.

XXXVI. De Citatione ad videndum ſe relaxari à præſtito juramento ad effectum agendi.

XXXVII. De Citatione ad videndum ſe declarari in pœnam Privilegio inſertam

XXXVIII. De Citatione ex cauſis Fiſcalibus.

XXXIX. De Conſtitutione arreſtorum.
XL. De denegatione, aut protractione Juſtitiæ.
XLI. De cauſis Reſcripti & ſimplicis querelæ.
XLII. De Mandatorum cauſis.
XLIII. De Mandato contra Magiſtratus.
XLIV. De Appellatione in genere.
XLV. De Appellatione extrajudiciali.
XLVI. De Appellatione ordinaria.

XLVII. De Appellationis affini, ſeu Reviſionis per Impartiales.
XLVIII. De Nullitate.
XLIX. De Reſtitutione in integrum adverſus ſententiam judicis inferioris.
L. De Reductione ad arbitrium boni viri.
LI. De ordine proceſſus in genere.
LII. De Terminis.
LIII. De ordine proceſſus in cauſis mandati.
LIV. De ordine proceſſus in cauſa appellationis.

LV. De Relatione actorum poſt concluſionem in cauſa.

LVI. De ſententia quomodo ferenda.

LVII. De Executione ſententiarum

LVIII. De Reſtitutione in integrum adverſus ſententiam Cæſaream.

LIX. De Reviſione ſententiæ Imperialis.

LX. De Abſolutione à banno.

LXI. De inſinuatione Proceſſ.

LXII. De Eccleſiaſticis.

LXIII. De Praxi Cancellariæ.

LXIV. De Agentum Officio.

TITULUS I.

De Conſilio Imperiali Aulico & Conſiliariis in genere.

I.

Conſilii Imperialis Aulici ſupremum caput Imperator eſt, R. H. O. *id eſt, ordinatione Conſilii Imperialis Aulici Ferdinandi III. de Anno* 1654. *tit.* 1. *in princ.*

II. Unde Imperator ſolus conſtituit Conſilium hoc, juſtitiamque ſemetipſum promoturum promittit, ideoque ab aliis viſitari quidem refugit. *Reſol. Ferd. III.* §. 13. ſed in Capitulatione Joſeph. *art.* 42. nec non Inſtrum. Pacis Oſnab. *art.* 5. §. *viſitatio. &c.* aliter ſtatutum, ut ſcilicet per Electorem Moguntinum viſitetur.

III. Conſilium hoc eſt Auris Cæſaris & Imperii & Dicaſterium Impera-

A. toris

Digitized by Google

toris Laterale, cumque eo ambulatorium; ad audiendas, definiendas, & referendas cauſas, tam contentioſæ, quàm voluntariæ jurisdictionis & gratiæ, ad Imperatorem devolutas, aut delatas: ideoque eidem, in ipſa Cæſaris Reſidentia, aut, ſi id in itineribus fieri nequeat, in proxima domo, locus congruus aſſignandus eſt; qui per famulum Conſilii ſedulò cuſtodiatur. R. H. O. *tit.* 1.

IV. Hoc in Conſilio præter Præſidem conſtituantur Conſiliarii ex Principibus, Comitibus, Baronibus, aut ordinis equeſtris, graduatis, aut literatis, rerum Imperialium & linguæ Germanicæ benè gnaris, ac authoritatis cujusdam, nec non bonæ famæ, ac inſuper in Imperio honeſtè natis, educatis & poſſeſſionatis, atque ad referendum habilibus, quique de Imperatoris & Imperii Juribus & inde dependentibus bene informati authoritatem, regalia & privilegia in legationibus & tractatibus tueri valeant. R. H. O. *tit.* 1. §. alle dieſe. 3. *& ibid. tit.* 1.

circa

circa principium. Cap. Leop. & Joſeph. art. 40. & 41. *Transpaſſ.* §. **demnach ſoll die.**

V. Conſilium hoc cum Camera Imperiali concurrentem habet juriſdictionem, quæ non eſt impedienda. **R. H. O.** *tit.* 2. §. **Es ſollen.** 7.

VI. Contra lites in Camerâ introductas Conſilium hoc mandata, inhibitiones avocationes & reſcripta curſum Cameræ impedientia (excluſis caſibus per Imperii conſtitutiones exceptis) non decernat, ſed, ſi ad ſupplicantis ejusmodi ſubticentis preces, proceſſus decernerentur, caſſentur, & ſupplicans decem marcis auri mulctetur, *Receſſu Imperii noviſſimo de An.* 1654. §. **Ebenmäßig.** 166. viciſſim autem Camera cum Conſilio, non in omnibus concurrit.

VII. Conſilii hujus leges ſunt, Ordinatio Ferdinandi III. de 16. Martii 1654. eaque omnibus quatuor temporibus in præſentia Agentum legatur *Ord. Ferd. I.* §. **Zum andern ſo wollen.** 27. *Cap. Joſ. art.* 41. Conſti-

tutiones Imperii, Capitulatio Imperatoris inſtrumenta pacis Weſtphalicæ, nec non Ordinatio Cameræ Imperialis, ſed non niſi in ſubſtantialibus. R. H. O. *tit.* 2. §. hingegen wollen. 8. Item Concordata Germaniæ, quatenus præjudicium, aut damnum Auguſtanæ, & Reformatæ Religioni addictis non inferunt. *Cap. Joſ. art.* 19.

IIX. Conſiliarii actuales unà cum ſuâ familiâ itemque eorum viduæ ac liberi, quamdiu ſtatum non mutant, ab omnibus perſonalibus, exactionibus, oneribus, tutelis & aliis jurisdictionibus, von Sperrung / Nachſteuren / Abfahrt-Geld / Wein-Holtz-und Illuminations - Auffſchlag / und allen andern dergleichen Perſonal-Laſten / ſunt exempti habentque liberum diſceſſum, freyen Abzug / ſuntque ſub protectione Cæſarea conſtituti. R. H. O. *tit.* 1. §. So iſt auch unſer. 8. *Rec. Imp. nov.* §. hingegen. 141. nec in perſonalibus coram alio judicio, quàm Conſilio Imperiali Aulico conveniri poſſunt, vide reſcriptum ex

Can-

Cancellariâ Auſtriacâ *de dato Augſpurg* 30. *Dec.* 1689. *Cap. Joſeph. art.* 41. Item der Oeſterreich. Hoff⸗Cantzley inſinuatum an den Käyſerl. Reichs⸗Hoff⸗Rath in Sachen Hn. von B. betreffend / de 23. Junii 1706.

IX. Præcedentiam & reſpectum hujus Conſilii, quod concernit, id obſervandum, quod Ordinatione hujus Conſilii de Anno 1653. ſtatutum eſt. *Cap. Joſ. art.* 40. *Reſol. Ferd. III.* §. 1. *R. I. N.* §. Damit. 165. R. H. O. *tit.* 1. §. So iſt auch unſer.

X. Nam Conſiliarii Imperiales aulici primum, poſt Conſiliarios intimos, habent locum omnesque reliquos omnium inſtantiarum Conſiliarios, eoque magis omnes Camerarios absque ſtatûs differentia, uti olim, ita & imposterum præcedere debent, ſicut penes omnes Electores Principes moris eſt, ubi Conſiliarii aulici Doctores omnes reliquos non Conſiliarios, utut Illuſtres, & Principum Eccleſiaſticorum Fratres, imò & Principum Secularium Agnatos natu minores,

Cadettos præcedunt, & rectè: quanta namque differentia eſt inter hominem licet illuſtriſſimum nonniſi ad Imperatoris indumenta, & id genus operas pediſſequas aſſumptum, & virum doctrina & rerum agendarum experientia & dexteritate excellentem, ad Imperia, regna & populos regendos aptum; tanta certè quoque debet eſſe inter utrumque præmiorum honoris & præcedentiæ differentia, & quanta Imperii præ Regnis eſt antecellentia, tantam & Imperialis Miniſtri, ſeu Conſiliarii, cujuscunque ſtatûs ſit, præ Regio præcedentiam eſſe oportet, uti vetuſtiſſimus in Cancellaria Imperiali aulica titulaturæ ſtylus docet; ubi titulus Conſiliarii ſemper ante Camerarii Cæſarei titulum ponitur, imò protocollum Conſilii Imperialis aulici de 15. Aprilis 1637. & ſeqq. docet, quod ſupremus Imperatoris Camerarius Dominus de Pucheimb poſt tres Conſiliarios locum habuerit, & juſte; tam enim Conſiliarii Cæſarei titulus olim fuit ſublimis, ut etiam Electores

ctores Imperii hunc honorem ab Imperatoribus expetierint, Cæſaresque ipſos tales ſuos amicos, illuſtres, ſublimes, Comites clariſſimos, & ſocios nominaverint, uti codex Juris teſtatur.

XI. Imò ea fuit olim Conſiliariorum Imperialium dignitas, ut ſibi non pro decoro ducerent, Aulam niſi ad Conſilium intimum, aut honorificos inveſtiturarum & functionum publicarum actus invitati ſine ſtatûs diſcrimine, primum poſt duos trésve Intimos locum occupaturi frequentarent, aut in ſummis feſtis Imperatorem gratulabundi accederent; adeo ut cum Imperator Ferdinandus II. advertiſſet, quosdam & maximè Illuſtres Aulam ſæpiùs curioſitatis gratia conſcendere per decretum inhibuerit, nequis Præſidum Cancellariorum, aut Conſiliariorum Aulam niſi vocatus ingrederetur, ſed ſuo quisque muneri incumberet, utpote, quo ſatis haberent, quod pro Reipublicæ juſtitiæque adminiſtratione curioſitatibus aulicis, vel, ſicuti dicitur Anticameræ novellis mil-

lies anteferendo ſe occuparent. Judicis enim alicui vitam, honorem bonaque ab vel ad judicantis officium requirit doctrinam non ſuperfunctoriam, ſed fundamentalem, longam experientiam, totumque hominem.

XII. Ne verò nimiùs Conſiliariorum numerus in votando impediat, Ferdinandus III. vigore ſuæ reſolutionis *de* 15. *April.* 1637. §. 1. ſtatuit, ut præter Præſidem, & Vice-Præſidem, nonniſi ſex Illuſtres & ſex Juris-Conſulti eſſent, deinde verò in ordinatione ſua Imperiali Aulicâ *tit.* 1. §. und dieweilen. ſtatuit, ut unà cum Præſide & Vice-Præſide excepto Vice-Cancellario non ſint, niſi octodecim, id eſt, cum Vice-Cancellario novemdecim; Denique verò Imperator Leopoldus ad votum Gutachten *de* 20. *Oct.* 1692. ſancivit, ut in ſcamno Juris-Conſultorum decem, in ſcamno Laicorum autem vel Illuſtrium octo eſſent, quod votum reperitur in protocollo ſupremi Aulæ Cæſareæ Præfecti, bey dem Obriſten Hoffmeiſter-Amt / & in Camerâ Aulicâ.

XIII. Sumantur autem hi octodecim ex Imperii Germanici circulis & inter hos ſint ſex Auguſtanæ Confeſſionis. R. H. O. *t.* 1. §. wiewohlen. 2.

XIV. Exteri autem, id eſt, extra Germaniam nati & educati ad Conſilium hoc non admittantur *Cap. Joſ. art.* wiewohlen.

XV. Pro Conſiliario nemo recipiatur, niſi vel Imperii Principis Conſiliarius aulicus, aut Conſilii hujus Secretarius prius fuerit, vel à Conſilio Imperiali Aulico examinatus proceſſum ſine alterius cooperatione, medio juramento, definitivè retulerit. R. H. O. *t.* 1. §. alle dieſe. 3.

XVI. Secretarii verò, dum Conſiliarii fiunt, prius deponant officium Secretariatûs unà cum actis. R. H. O. *tit.* 1. §. alle dieſe 3.

XVII. Non admittatur alius Conſiliarius, niſi ex dictis octodecim unus locus vacet. R. H. O. *tit.* 1. §. und dieweil. 1.

XIIX. Supremus Aulæ Præfectus, ſeve forte ægroto, ſupremus Aulæ

Mareſchallus Conſiliarios Aulicos in Conſilium introducit & Præſidi, juſſu Imperatoris, præſentat, & illuſtres quidem in Rhedâ ſuâ ſecum adducit, Juris-Conſulti verò ante Conſilii fores ejus adventum expectant.

XIX. Occurrit autem Præſes ſupremo Præfecto, vel ſupremo Aulæ Mareſchallo tanquam legato; ſeu Commiſſario Cæſareo ad Rhedam usque, eumque porrò etiam, poſt factam novi Conſiliarii introductionem, concomitatur usque ad Rhedam, neque recedit niſi cum currus abit.

XX. Poſt diſceſſum ſupremi Aulæ Præfecti, Præſes noviter introducto ſeſſionem aſſignat; ſedent autem Principes, Comites, Barones & Equeſtris Ordinis Conſiliarii à dextrâ, Jurisperiti autem à ſiniſtrâ Præſidis, juxta tempora receptionis, id eſt, non à tempore decreti, ſed introductionis & præſtiti juramenti, omnesque æqualiter referant interque illos acta æqualiter & ſine diſtinctione diſtribuantur referenda R. H. O. *t.* 1. §. die *Seſſion.* 9.

Si

Si fortè quis, ex Juris-Conſultis, in ſtatum illuſtrem Comitis vel Baronis evehitur donec in ſcamno Juris-Conſultorum manet, hoc titulo non utitur; ſi vero illo uti voluerit, ad alterum ſcamnum Illuſtrium, juxta ordinem receptionis, progrediatur; ſicut cum defunctis Dominis Baronibus de Q. & de W. factum eſt, qui, poſt depoſitum Secretariatum à ſcamno Juris-Conſultorum ad Illuſtrium transierunt juxta ordinem receptionis.

XXI. Imperator libros Conſilio neceſſarios comparabit, ideoque ex iis, qui Bibliothecæ Cæſareæ deſtinati ſunt, neceſſarii retineantur. R. H. O. *tit.* 1. §. 25. & 26.

XXII. Catalogus privilegiorum, ſummarum appellabilium, indultorum & feudorum non à nomine poſſidentis, ſed feudi & rei poſſeſſæ fiat, & in Conſilio pro ejus informatione aſſervetur. R. H. O. *tit.* 2. §. und zu deſto richtigerer/ ꝛc. 2. Sed utinam privilegia de non appellando reſcinderentur, aut non ulterius concederen-

tur juxta. *R. J. N.* §. weilen auch. 116. Sicut enim experientia memini, quam inordinatè, iniquè, & dilatoriè quandoque in inferioribus inſtantiis procedatur, ità certè durum eſt Partibus, quæ cum in Patriâ fortè à Miniſtro, quin & ab ipſo Principe aliquando perſecutiones patiuntur, aliò & ad ignotos provocare nequeant.

XXIII. Conſiliarii amplis ſalarientur ſtipendiis, ea verò, cum deſunt, ſportulæ ordinentur, quas quidem Imperator Ferd. III. *in decreto de* 15. *Aprilis* 1637. improbavit, ſeque illis aliter proviſurum ſpopondit, anno autem ſubſecuto vigore decreti *de* 28. *Maji* conſenſit, ut interea, donec tempora fœliciora forent, loco ſalarii pro cauſarum relationibus ſolverentur, indeque Referens duas haberet portiones, verùm cum non omnes, uti in ordinatione Conſilii Imperialis aulici. *t.* 3. §. wann nun. 15. *&* *t.* 4. §. nicht allein in wichtigen. 1. jubentur, pariter referunt, nec acta æqualiter referenda dividuntur, juſtius

foret, ſi ſportulæ ſolummodo inter Re- & Correferentem dividerentur, non dubitando, quin omnes æqualiter laborare ſint deſideraturi.

XXIV. Cum negotia accreſcant, duo ordinentur Senatus in cauſis ſaltem minoris momenti, R. H. O. *t.* 1. §. Es ſollen auch. *in fin. Reſ. Ferd. III.* §. 1. Cur non & communiter in omnibus? cum enim, juxta ſupra dictam reſolutionem Imperatoris Leopoldi *de* 20. *Octob.* 1692. protocollo ſupremi Aulæ Præfecti inſertam & Cameræ Aulicæ intimatam, deciſum ſit, ut in ſcamno Juris-Conſultorum decem Conſiliarii, & reliqui octo laici, id eſt, illuſtres ſint, certè non video, quid obſtet, quin octo vel novem uni Senatui ſufficiant, adeoque duo Senatus conſtitui poſſint, & tam ſanctum opus fiat, maximè cum id ipſum ita ſancitum fuerit. R. H. O. *tit.* 1. §. und weilen da. 15.

TITULUS II.

De Præſidis Munere.

I.

PRæſes Imperii quidem Princeps, Comes, aut Baro ſit, ſed imprimis Vir bonus, rerum & Conſtitutionum Imperialium gnarus. R. H. O. *tit.* 1. *in princ. Cap. Leop. & Joſeph. art.* 40.

II. Præſes eſt locum-tenens & Auris Cæſaris, &, poſtquam coram Sacra Cæſarea Majeſtate in Conſilio intimo juravit, per Supremum Aulæ Præfectum in Conſilium Imperiale Aulicum introducitur &, Conſiliariis ad actum hunc citatis, præficitur, primumque locum in ſede brachiali holoſerico rubro veſtita, auff einem roth Sammeten Lehn-Seſſel obtinet, Conſilium dirigit, vota colligit & concludit. R. H. O. *tit.* 1. §. In ſolchem ſoll. 4.

III. Attamen quando Cæſar in Comitiis cujusdam Principis opera in Conſilio Aulico Imperiali uti vellet, huic Præſes imparis dignitatis directo-

rium

rium primumque locum cedat. R. H. O. *tit.* 1. §. Jedoch. 6.

IV. Præſes cum Auris Conſilii ſit, Partes quidem libenter audiat, & ad Conſilium remittat, ſed tanquam Confeſſarius non prodat illarum querelas, quas vel ex ſuſpicione, vel veritate adversùs Conſiliarios ferunt, ſed caveat, ne veræ fiant, aut ſi veræ ſunt, curet ut emendentur, nec Partes, niſi malitioſæ ſint, propterea lædantur, qui namque ſe læſum, aut non ſatis adjutum putat, nec rationesità decernendi novit, animum habet exulceratum, cui potiùs condolendum, quam indignandum.

V. Caveat quoque ſibi ab omni affectu & præoccupatione, per blanda, aut commiſerationem cauſantia verba, vultum morésve ſuaves, contra rei veritatem, aut Juſtitiam, quandoque facilè conceptibili, potiſſimùm verò non monſtret affectum, ad cauſam, aut perſonam, Conſiliariis; nè fortè quis, placendi cupiditate, minùs æquum votum edat.

VI.

VI. Curet ut ordinatio Conſilii, omni quadrante anni, in Conſilio præſentibus Agentibus legatur *Ord. Ferd. I.* §. Zum andern ſo wohlen. 27.

VII. Præſidi à Conſiliariis debita obedientia & reſpectus habeatur, & ille quidem attendat, ut Conſiliarii ſedulò, ac fideliter officiô ſuô fungantur, neque illos indecenter tractet, aut gravet, ſed uti oportet, & hucusque obſervatum eſt, condignè omnes habeat. R. H. O. *t.* 1. §. In ſolchem ſoll. 4.

IIX. Præſes jubeat, ut Conſiliarii ſtatutâ horâ compareant, aut pro neglecto tempore certum ex ſalario perdant. *Reſ. Ferd. III.* §. 10. R. H. O. *tit.* 1. §. Da aber. 21.

IX. Inhibeat, ne Conſiliarii literis vel Novellis, aliisque diſcurſibus tempus terant. *Reſ. Ferd. III.* §. 10.

X. Si verò aliquoties moniti in negligentia, erroribus, aut ſingularitatibus perſeverent, Præſes eos ad Imperatorem deferat. R. H. O. *t. eodem.* §. Wofern. 12.

XI.

XI. Conſiliarios in duos Senatus diſtinguat ex cauſis, *tit.* 1. *de Conſilio*, dictis.

XII. Præſes ſolus eové abſentes Vice-Cancellarius, aut Vice-Præſes ſupplicationes acceptet, iisque inſcribat diem præſentationis, priusquàm protocollo inſerantur. R. H. O. *tit.* 3. §. Sonſten ſoll. 16. *Reſol. Ferd. II.* §. 1. & *Decr. de* 28. *Maji* 1636.

XIII. Decreta Imperatoris ad Præſidem, Vice-Præſidem, & Conſiliarios data, Præſes aperiat, eisque diem præſentationis inſcribat, ac porrò ſurgentibus & ſtantibus omnibus legi curet.

XIV. Cum memorialia ab Agentibus, aut ipſismet Partibus præſentibus ſubſcribenda debitè rubricanda & pli-canda ſint, hinc Præſes memorialia huic non conformia ſtatim rejiciat & ab Agentibus defectuoſa memorialia exhibentibus pœnam per Janitorem exigat.

XV. Jubeat & obſervet, ut memorialia, ante Conſilii initium & quidem in duplo, imò in triplo, nimirùm pro

Re-

Referente, Correferente, & Parte adverſa præſententur, & Protocollo rerum exhibitarum inſerantur.

XVI. Poſteà porrigat memorialia eodem manè exhibita ſecretario cauſæ, ut, ſi, in causâ quâdam aliquid referatur, ad quam memoriale eodem præſentatum pertineat, Referenti ſimul conſiderandum exhibeat, poſt Conſilium verò, omnia colligata in ſacco clauſo per Janitorem transmittantur Protonotario. R. H. O. *tit.* 5. §. Wann num. 15.

XVII. Protonotarius porrò omnia exhibita protocollo inſcribat, & unà cum protocollo poſtridie, ante Conſilii initium, ſacco ſeratô incluſum Præſidi remittat, & acta Latina à Germanicis per faſciculos duos ſejungat.

XIIX. Deinde Præſes poſtridiè eadem ſecretariis Latino Latina, Germanico Germanica, ſtatim porrigat, ut inter Conſiliarios diſtribuant.

XIX. Ubi autem nova ſunt, in eorum dorſis plumbo notet Referentis nomen & Secretario cauſæ porrigat, ut

in

in Protocollo Referentium, cum die & conſule prius annotet, Referenti porrigat, & notatum plumbeum deleat. R. H. O. *tit.* 3. §. Geſtalt dann auch. 17.

XX. Præſes acta ſine ullius exceptione inter Conſiliarios æqualiter diſtribuat referenda. R.H.O. *Ferd. III.* 1654. *tit.*4. §. nicht allein in wichtigen. 4. *in medio ibid. t.* 3. §. Wann nun. 15.

XXI. In cauſis diverſæ Religionis pares utriusque Religionis Conſiliarios adhibeat. R.H.O. *tit.* 1. §. Wir wollen. *&* §. Wann nun. 6. *tit.* 5. §. Darüber. 21. *R. J. N.* §. Den zweyten *Punctum.* 191.

XXII. Obſervet, ut idem Referens in eadem cauſâ ejusque dependentiis & annexis maneat, niſi ob cauſas aliter exiſtimet, quod Præſidi liberum erit, nec ideo Referentis lædetur exiſtimatio. R. H. O. *tit.* 4. §. Welche in Sachen dann. 11.

XXIII. Si pars Re- vel Correferentem exploraverit, Præſes ſinè exiſtima-

tionis diminutione, dummodo ſinè illorum culpâ id accidit, alios ſubordinet, adverſus culpoſos autem, ut & ſecreta propalantes apud partes cœterosque inquirat & deſuper Cæſarem informet. R. H. O. *tit.* 4. §. Da aber der *Referent.* 12.

XXIV. Satagat, ne Referens ſupplicationes pro proceſſibus, multo minùs autem currentia memorialia, ſeu monitoria ultra duos, tres, ad ſummum octo dies differat, currentia autem memorialia ſecum domum non ſumat, ſed ſtatim referat. *Reſ. Ferd. II.* §. 2. 3. 4.

XXV. Curet nè proceſſus appellationis decernantur, aut denegentur, neque cauſa finaliter referatur, niſi octo ad minimum Conſiliarii ſint præſentes. R. H. O. *tit.* 1. §. und weiſen dann. 15. *in fin.*

XXVI. Interroget Secretarios, quæ cauſæ priùs referendæ ſint. *Ord. Ferd. II.* §. 22.

XXVII. Curet, ut cauſæ juxta ordinem præſcriptum infra *tit.* 4. §. 48. recen-

recenſitum referantur. R. H. O. *t.* 4. §. Und ſoll unſer. 6. *& ſeqq.* Eoque fine ſemper catalogos duos ante ſe habeat, unum cauſarum concluſarum juxta temporis vetuſtatem, alterum memorialium & libellorum reſolvendorum ex iisque jubeat, & antiquiores prius referantur.

XXIIX. Conſtituat tempus ad referendum cauſas concluſas, jubeatque, ut Referens facti ſpeciem cum ſchemate perſonarum pridiè relationis ponat in menſam ab omnibus examinandam. R. H. O. *t.* 4. §. So bald. 17.

XXIX. Jubeat, ut Referens & Correferens per extractum fideliter referant, eoque tempus inutili actorum lectione non terant ſuasque relationes ſcriptô concipiant, & penes acta relinquant. R. H. O. *tit.* 4. §. So bald nun. 17. *t.* 5. *poſt princ.*

XXX. Præſes, poſt relationem conceptam, acta, Correferenti tradi, & quàm primùm & hic relationem ſuam paraverit, ſinè ullâ rerum aliarum interpoſitione, cauſam Re- & Correferri

curet,

curet, ne Re-& Correferens ſpecies obliviſcantur. R. H. O. *t.* 4. §. **So bald ein** *Referent.* 17. *& tit.* 5. §. **Jedoch da einer.** 9. §. 5. *&* 10.

XXXI. Non patiatur ut, cœpta relatio ſuſpendatur, aut, pendente unâ relatione alia incipiatur. R. H. O. *tit.* 4. §. *ult. R. J. N.* §. **In alle weg.** 146.

XXXII. In cauſis Juſtitiæ à Juris-Conſultis, in cauſis ſtatûs autem, à laicis incipiendo, niſi ex rationibus aliter facere & à meliùs informatis incipere voluerit, vota colligat, iisque liberam facultatem opinandi relinquat. R. H. O. *tit.* 5. §. **Demnach.** 7. §. **Unſer** *Præſident:* 8. *&* §. **Ob dann wol.** 13.

XXXIII. Caveat nè quis ſinè veniâ Referentem, inter referendum, interroget. R. H. O. *tit.* 5. §. **Es ſolle.** 3.

XXXIV. Si fortè Referens vel Correferens in Referendo quicquam ſtudioſè omittat, in partium præjudicium, Præſes illum confeſtim inculpet, &, ſi ſecunda vice idem fecerit, Imperatori

in-

indicet. R. H. O. *tit.* 4. §. Es ſollen auch. 13.

XXXV. Obſervet, ne Conſiliarii ſingularitates immiſceant, nec alterius votum recapitulent. R. H. O. *tit.* 5. §. Ob dann wohl. 13. *Reſol. Ferd. III.* §. 10.

XXXVI. Requirat etiam Secretariorum vota, dum in causâ ſunt informati; ita enim juſſit Imperator Mathias per ſuum primum Miniſtrum Epiſcopum Viennenſem inter quatuor monita, cum Conſilium Imperiale Aulicum introduceret 23. Auguſti 1612.

XXXVII. Præſes in paritate votorum uni parti accedere quidem poteſt, potiùs tamen opiniones votaque & eorum rationes eâdem: aut alterâ die ulterius examinet, donec Conſiliarii aliorum argumentis inſtructiores rem magis difficilem rectiùs decidant. R. H. O. *t.* 5. §. Wo auch die Nothdurfft. 11. & §. Da auch unterſchiedliche. 15. aut potius Imperatori ad decidendum referat. R. H. O. *t.* 5.

t. 5. §. Wo aber die Stimmen. 17. & §. Und demnach. 19.

XXXIIX. Non permittat, ut pœnæ ob non obſervatum proceſſus, & memorialium ordinem commiſſæ, ſine expreſſo Cæſaris juſſu, indulgeantur, conniventia enim in minimo cauſat confuſionem etiam in maximo, graviora autem delicta per Præſidem & Conſiliarios deliberata Cæſari cum voto referantur. R. H. O. *t.* 7. §. Im Fall das Verbrechen 16.

XXXIX. In abſentiâ Præſidis Vice-Præſes, vel etiam, hoc abſente, proximus & Senior ex Laicis, id eſt, illuſtribus, directorium habeat, huicque in dirigendo idem reſpectus & obedientia, uti Præſidi, detur. R. H. O. *tit.* 1. §. Da aber. 5. *tit.* 3. §. Dafern auch. 18.

XL. Conſtituat cum præſcitu Cæſaris duos Conſiliarios pro fiſco. R. H. O. *t.* 6. §. 5.

XLI. Præſes, cum præſcitu Vice-Cancellarii &, prævio examine, per duos Conſiliarios faciendo, admittat

Agen-

Agentes, ſed non ultra 24. aut 30. R. H. O. *t.* 7. §. 2. & 3.

XLII. Omnia ſuperius dicta etiam à Vice-Cancellario & Vice-Præſide hujus Conſilii obſervanda ſunt.

TITULUS III.

De Archi-Cancellarii Pro-Cancellario Imperii ejusque munere.

I.

UTi Moguntinus Archi-Cancellarius & Elector omnes Cancellariæ perſonas, ſuum ſcilicet Vice-Cancellarium, Secretarios, Archivarios, Regiſtratores, Taxatores, & reliquos eò pertinentes conſtituendi, & ex officio Taxæ ſalariandi, proptereaque Taxas moderandi rationesque exigendi jus & authoritatem ab Imperatore & Imperio habet; *Cap. Leop. & Joſ. art.* 40. Ità quoque Vice-Cancellarius eandem Cancellariæ curam habeat. *Cap. Leop. & Joſ. art.* 45.

II. Et uti omnes Perſonæ Cancellariæ Cæſari & Archi-Cancellario fidelitatem & obedientiam adjurant, ità etiam, in iis, quæ vel ipſe, vel ejus Pro-Cancellarius in nomine & negotiis Cæſaris juſſerit, eidem obedire tenentur. Reichs=Hoff=Cantzley=Ordn. *Max. II. de* 12. *Novembr.* 1570. §. Anfänglich.

III. Imperii Vice-Cancellarius eſt Os Cæſaris & Imperii, ac omnia negotia tam publica, quam privata Imperii, ut & Conſilii Imperialis aulici vota ad Cæſarem defert, ejusque reſolutiones ad idem refert, aut remittit.

IV. In actibus publicis Imperator per ipſum ejusvé linguam reſpondet & loquitur.

V. Curſores, ſeu poſtæ ad ipſum ſemper appellere, eidemque omnes literas ad Imperatorem datas conſignare debent, qui eas (niſi in ſpecie ad manus Imperatoris deſtinatæ fuerint) aperit, publica concernentes Imperatori conſignat easque libro poſtæ inſcribi curat, judicialibus autem diem præ-

præſentationis inſcribit easque ad Conſilium Imperiale Aulicum ſecum ſumit, aut ſub ſigillo ſuo illuc mittit ad Præſidem. R. H. O. *t.* 3. *circa finem principii Reſol. Ferd. II.* §. 10. Nec ullus per poſtam ex aula & urbe Viennenſi proficiſci poteſt, niſi à Vice-Cancellario ejusvé Subſtituto ſcedulam licentiæ ad quot equos & perſonas, & quò? obtinuerit.

VI. Vice-Cancellarius ante Vice-Præſidem locum habet, & Conſiliarii ad ipſum remittuntur, cum reſpectu & obſequio. *Reſol. Cæſarea de* 16. *Martii* 1654. *& ad votum Conſilii de* 17. *Aprilis* 1660.

VII. Vice-Cancellarius etiam ex officio eſt primus Conſiliarius Imperialis Aulicus. *Cap. Joſ. art.* 40.

IIX. Vice-Cancellarius Imperii Conſilium Imperiale aulicum, cujus Os eſt, diligenter frequentet, & negotia ibidem occurrentia ſimul dirigat, abſente Præſide, memorialia recipiat, & diem præſentationis inſcribat, eaque

omnia obſervet, quæ de Præſidis munere dicta ſunt.

IX. Si verò ejus opera in Conſilio intimo fuerit neceſſaria, Imperator alium ſubſtituat, qui eum in Conſilio aulico repræſentet, & in eodem honore habeatur. Reichs-Hoff-Cantzley-Ord. *Ferd. I. in princ.* §. Und nachdem Wir. *Maximil. II. in princ.* §. Und nachdeme Wir. *&* §. Da Wir aber.

X. Cancellariæ curam gerat, perſonas Cancellariæ protegat, ac provideat, ut illis proximè apud Aulam, & Cancellariam habitationes ab Aulæ Mareſchallo & Magiſtro metatorum, ſeu quarteriorum, juxta decretum ad illos emanatum aſſignentur. *ibid.* §. Und nachdem uns. *circa finem.*

XI. Sinè Vice-Cancellarii Præſcitu Agentes non admittantur. R. H. O. *tit. 7. in princ. ordinis Proc. Ferd. II.* §. 2. *&* 3.

TITULUS IV.

De Conſiliariorum Referentium munere in genere.

I.

REferens ante omnia ſciat, quod, præter pœnas divinas & æternas, etiam in hoc ſæculo, ob ignorantiam, negligentiam, malitiam, aut ſordes, judicans, aut negans, aut protrahens juſtitiam graviter mulctetur, & à Fiſco agitandus. *R. J. N.* §. **Wann ſich auch.** 109. nec non capite plectendus ſit. Juxta legem 7. *tit.* 7. *in fragmentis.* 12. *tabul. juxta ord. ff.* Imò juxta conſtitutionem Leonis & Alexandri, inveniat DEum & Cœleſtes omnes, atque incorporeas poteſtates ſibi nunquam non adverſantes, immaturè ex hac vitâ excidat potiùs quàm excedat, incommodis inſuper afficiatur perpetuis, ipſius ædium fundamenta ignis tandem devoret & poſteritas eo redigatur inopiæ, ut panem

oſtiatim quæritet, atque hæc jure ſane optimo, propterea, quod leges quas liberrimas eſſe oportuit, ſervas quodammodo atque captivas effecit fictorum pravorumque judiciorum.

II. Quapropter Conſiliarii ſinè reſpectu Statuum & perſonarum fideliter & æqualiter referant, interque Laicos, id eſt, Illuſtres & Juris-Conſultos acta ſine diſtinctione diſtribuantur. R. H. O. *t.* 1. §. Alle dieſe. 3.

III. Nulli Principum juramento vel ſalario ſint obſtricti. R. H. O. *t.* 1. §. Desgleichen ſollen auch. 19.

IV. Ab omni Correſpondentia abſtineant. *Decret. Ferd. III. de* 3. *Octobr.* 1641.

V. Nec tempus diſcurſibus terant. *Decret. Ferd. III. de* 15. *April.* 1637. *Reſol. Ferd. III.* §. 10.

VI. Taciturnitatem, omniaque acta producta, & vota in occulto, etiam præ Domeſticis, ſervent. R. H. O. *t.* 5. §. Es ſollen auch. 23. *Reſ. Ferd. III.* §. 12. *Decret. Ferd. III. de* 15. *Aprilis* 1637.

VII.

VII. Nec Legatos, Advocatos, Procuratores, aut Sollicitatores in ædes ſuas recipiant, ſeu victum ſubminiſtrent. **R. H. O.** *t.* 5. §. 23.

IIX. Sint jurati, & incorrupti, juſtitiamque ſinceram ſinè perſonarum reſpectu aut religionum, juxta receſſus, conſtitutiones Imperii & cujuscunque Provinciæ ſtatuta, privilegia, & conſuetudines, &, in horum defectum, ſecundum jura communia, nec non acta & probata adminiſtrent, & à ſingularitatibus abſtineant. **R. H. O.** *t.* 1. §. **Und weilen dann.** 15. *Cap. Joſ. art.* 2.

IX. Ità ſe in omnibus cauſis Conſilium & Juſtitiam concernentibus, vel in aliis gerant, ne eorum honori & authoritati præjudicium inferatur, unde ab injurioſis abſtineant, & unioni ſtudeant, alias Præſes illos corrigat, imò etiam pro rei exigentia Imperatori indicet. **R. H. O.** *t.* 5. §. *ult.*

X. Non glorientur coram partibus, ſe hujus vel iſtius ſententiæ, aut alios contrarios fuiſſe, neque concluſa vel

ſententias Partibus aperiant, ſed ad Secretarios, utpote, qui & ipſi os Conſilii ſunt, remittant. *Ord. Ferd. I.* §. Und nachdem. 24.

XI. Conſiliarii, qui partibus parentelâ obſtricti, vel patrocinati ſunt, in earum cauſis à Conſilio ſecedant. R. H. O. *t.* 5. §. Da auch jemand. 18.

XII. Nec ulli patrocinentur, niſi fortè propinquis. *Ord. Cameræ p.* 1. *t.* 13. §. 14.

XIII. Conſiliarii extra cauſas Conſilii, ad juſtitiam liberius adminiſtrandam à juramento liberati ſunt. R. H. O. *t.* 1. §. Hergegen. 17.

XIV. Nec aliis commiſſionibus & reviſionibus graventur reviſionesque ad plenum velut Judices delegatos remittantur. *Reſol. Ferd. III.* §. 3. & 5.

XV. Conſiliarii duobus diebus poſtæ Mercurii, & Sabbati, vacent niſi negotiorum pondus exigat, ut & hiſce diebus, imò & poſt meridiem frequentetur. R. H. O. *tit.* 1. §. Jedoch mag. 13. *Decret. Ferd. III. de* 28. *Maji* 1638. §. 7.

XVI. Conſiliarii per Præſidem vocati in loco conſueto Conſilii manè, & urgente neceſſitate, etiam poſt meridiem, uti dictum, conveniant, conſiliumque per tres horas continuent. R. H. O. *t.* 1. §. In der Rathſtuben. 11. *item Decr. Leopold. de* 12. *Mart.* 1685. *Reſol. Ferd. III.* §. 10.

XVII. Conſiliarii à Supremo Aulæ Cæſareæ Præfecto abeundi, aut vacandi licentiam petere debent. R. H. O. *tit.* 1. §. Auch im Namen. 7. *&* §. und dieweil dannoch. 20.

XIIX. Sine licentia autem emanentes Cæſari denuncientur, iisque pro rata temporis neglecti ſalarium minuatur. R. H. O. *tit.* 1. §. Da aber einer. 21.

XIX. Imò negligentes per Præſidem moniti, & non emendati ad Cæſarem deferantur. R. H. O. *tit.* 1. §. Wofern. 12. *Decret. de* 12. *Mart.* 1685.

XX. Conſiliarii uxorati annuè gaudeant octo, cœlibes verò ſex ſeptimanarum vacatione cum ſupremi Præfe-

cti præſcitu, ſed ita per vices, ut collegium ſemper ad cauſas tractandas ſufficiens maneat. R. H. O. *t.* 1. §. **Und dieweil dannoch.** 20.

XXI. Si verò quidam majus tempus deſideret, id ſine Cæſaris licentia non concedatur. R. H. O. *tit.* 1. §. **Da aber einer.** 26.

XXII. Conſiliarius aliò ablegatus ſalario ſuo, tametſi in Camera Imperiali aliis accreſcat, hic tamen gaudeat, ſed nullis accidentibus, v. g. Sportulis & laudemiis, utpote, quæ illis ſolis merito debentur, qui in numero octodecim ſalariatorum & laborantium ſunt. *Decret. de* 8. *Septembr.* 1685.

XXIII. Conſiliarius aliò proficiſcens acta prius ad Conſilium & in cauſis relatis etiam votum ſuum mittat. R. H. O. *t.* 5. §. **Wann wir in.** 12.

XXIV. Jubet quidem reſolutio *Cæſ. Ferd. III.* §. 17. & ordinatio Conſilii *tit.* 5. §. **Wo dann einer.** 4. quod nullus Conſiliariorum acta, quorum Referens non eſt, ſine Præſidis, aut Vice-Cancellarii juſſu, ex Cancellaria ſibi

domum

domum dari curet, ſed certè multas ob cauſas ſanctum putarem, ſi omnes acta legerent, & dummodo benè numerata ſint, erga recognitionem legenda domum ſumerent.

XXV. Ne tamen Partibus, cum acta revident, Referens innoteſcat, ille manu ſua nihil ad marginem actorum notet. R. H. O. *tit.* 3. §. Damit auch. 20.

XXVI. Porro, quod ad rem ipſam attinet, cum Judicis ſit Partes amicabiliter componere, Referens, ante omnia & in omni judicii parte, id ſibi curæ habeat, exceptâ cauſâ clarâ, quam per ejusmodi non protrahat. *R. J. N.* §. Zweytens. 110. R. H. O. *tit.* 2. §. Dieweilen aber die Billigkeit. 4.

XXVII. Obſervet, an libello dies præſentationis à Præſide Vice-Cancellario, aut Vice-Præſide ſit inſcriptus?

XXVIII. An ſupplex libellus præſcriptô modô ſit plicatus, debitè inſcriptus, ſeu rubricatus? ſcilicet libellus, Klag / Exceptio, Replica, Duplica &c.

XXIX. An ſit cauſa appellationis, mandati, reſcripti, vel citationis, ac denique in quo puncto verſetur, v. g. in puncto Poſſeſſorii Ordinarii, ſummariiſſimi, debiti attentatorum, & cum plenis præ-& cognominibus Actoris & Rei, des Klägers und Beklagtens. Alias dicet: Reſtituatur exhibitum ſupplicanti, ut mulctam ordinationis Janitori ſolvat & libellum debitè plicet, aut rubricet. Decret. 4. Novembr. 1667. Reſol. Ferd. II. §. 8.

XXX. Neque minus videat, an libelli adjuncta & documenta ſint originalia ab Archivario, ſeu Regiſtratore Imperiali, ſeu Statu Imperii ſint vidimata? an in frontiſpicio ſub numeris & literis præſcripto modo, id eſt Actor v. gr. ſub literis, & Reus ſub numeris, aut viceversâ, & quidem in tali ordine allegaverit, ut in eodem proceſſu nunquam idem numerus, aut eadem litera ſæpiùs allegetur alias decernet. Reſtituatur ſupplicanti, ut mulctam ordinationis exſolvat & allegata debitè ſignet. XXXI.

XXXI. An à Procuratore jurato, & quidem pleno nomine & cognomine ſit ſubſcriptus? nam aliàs niſi Pars ipſa adſit, & in rebus maximè non contentioſis & exiguis ſubſcripſerit: Decernatur. Si à Procuratore jurato ſubſcriptus fuerit, ſequetur, quod juris; *de Ord. Proceſſ.* §. 6. *Decret.* 22. *Septembr.* 1671. *&* 11. *Junii* 1674.

XXXII. An ſupplex libellus ejusque adjunctaLatinè velGermanicè ſint ſcripta, alias decernet: Supplicans exſolvat mulctam ordinationis, & ſi libellum ejusque annexâ in lingva conſveta exhibuerit, ſequetur quod juris. *Cap. Joſ. art.* 43. *Reſol. Ferd. II.* §. 9.

XXXIII. Notandum, quod ad memorialia Latina, etiam concluſa Latinè concipienda ſint, & ad Germanica Germanicè.

XXXIV. An libellus ſit legibiliter ſcriptus? maximè in cauſis Burgundicis, & Italicis, aliàs decernet: Reſtituatur ſupplicanti, ut mulctam ordinationis ſolvat, & ſi legibilius

ſcribi curârit, ſequetur, quod juris. *Reſol. Ferd. II.* §. 9.

XXXV. An ſupplicans omnia ea, ad quæ Judex in decernendo reflectere debet, v. g. documentum inſinuati proceſſus, termini, vel concluſi prioris, imò Protocollum integrum adfuerit, aliàs enim decernatur, ſupplicans ſolvat mulctam ordinationis, & ſi appoſuerit &c. ſequetur quod juris. *Reſol. Ferd. II.* §. 7.

XXXVI. Referens in Conſilio nunquam acta ex Regiſtraturis requirat, eoque nec Cancellariam, nec Janitorem, cui Januæ, ne foris auſcultetur, cuſtodia commiſſa eſt, continuis curſitationibus defatiget. Nec acta tot repetitionibus confundat; non enim eſt Cancellariæ, ſed Partium, ut acta inſtruant, unde, cum neceſſaria & potiſſimum integra protocolla deſunt, Partes, uti dictum eſt, moneat, ut apponant.

XXXVII. Si verò nihilominus prioribus indigeat, Secretarius ſcedam pro prioribus affigat, & certo loco ponat, ut

ut Janitor, finito Conſilio, & poſt prandium ea ex Regiſtratura, pro proxima juridica conquirat ante conſilii initium Referenti porrigenda R. H. O. *Ferd. I.* §. Es ſollen auch. 25.

XXXVIII. Porrò videat utrum ſupplicans mandatum Procuratorium appoſuerit?

XXXIX. An illud juxta ſtylum Conſilii conceptum ſit?

XL. An verò ad Mandatum in proximo reproductionis termino ſe obtulerit, deque eo caverit? ac poſtea etiam exhibuerit?

XLI. Si namque procuratorium non in termino præſcripto produxerit, nec caverit, Referens dicat: Supplicans ſolvat mulctam ordinationis Janitori & mandatum proximè ſub pœna præcluſi ſeu deſertionis producat.

XLII. In cauſis facilè reſolvibilibus, v. g. pro promotorialibus, impreſſoriis, communicatione, prorogatione, & ſimilibus Referens libellum non ſumat domum, ſed ſtatim referat. *Reſol. Ferd. II.* §. 4.

XLIII.

XLIII. Si injurioſa repererit in libellis, Referens eos ſupplicanti cum opprobrio & pœnâ dictatâ reſtitui & partibus remitti, imò etiam à Janitore ſupplicanti Carceratos reſtitui & pedibus conculcari curet. **R. H. O.** *t. 7.* §. **Weiters ſollen.** 5. *Decret. de* 23. *Novembr.* 1676.

XLIV. Cæterùm & inprimis quidem examinet Referens, an forum ſit fundatum, & cauſa ad Conſilium Imperiale Aulicum pertineat? an non jam tum in Camera Imperiali ſit introducta? tunc enim ſupplicans eò remittendus erit, ſi verò ſubdole in utraque inſtantia egerit, decem marcis auri, id eſt, decies 96. daleris Imperialibus mulctetur. *R. J. N.* §. **Ebenmäßig ſollen.** 166.

XLV. Si fundatum non fuerit, Referens dicat, ſupplicans cauſam ſuam loco debito agere ſciet.

XLVI. Sin autem forum fundatum fuerit examinet ex quo capite? an in cauſis contentioſæ an voluntariæ jurisdictionis, ſeu gratiæ?

XLVII. Cauſæ autem contentioſæ Jurisdictionis huc pertinent: Nimirum 1. ex capite fractæ pacis religioſæ vel profanæ, vide meum ante 42. circiter annos praxis imperialis Profeſſorem Dominum Jacobum Blum. in ſuo Proceſſu Camerali, quem ut unum ex celeberrimis Practicorum, hoc in opuſculo, paſſim brevitatis & memoriæ gratia remiſſivè allegabo. *tit.* 28. *&* 29. *ut & hic infra titul.* 29. *&* 30.

2. Ratione cauſarum fiſcalium *Blumii Proceſſ. Camer. tit.* 30. *inf. t.* 38.

3. Litigioſæ poſſeſſionis *Bl. tit.* 31. *infr. t.* 34.

4. Pignorationum *Bl. tit.* 22. *infr. tit.* 32.

5. Arreſtorum *Bl. tit.* 33. *inf. t.* 39.

6. Mandatorum *Bl.* 34. *infr. tit.* 42. 43.

7. Relaxationis juramenti ad effectum agendi. *Bl. t.* 35. *inf. t.* 36.

8. Conſtitutionis L. diffamari. *Bl. tit.* 36. *inf.* 24.

9. Protractæ juſtitiæ. *Bl. t.* 37. *inf. tit.* 40.

10.

10. Compromiſſorum. *Bl. tit.* 38.

11. Violati privilegii Cæſarei. *Bl. Pr. tit.* 39. *inf. tit.* 37.

12. Cauſarum continentiæ. *Bl. tit.* 40. *inf.* 33.

13. Rei ſitæ. *Bl. t.* 41.

14. Ratione perſonæ immediatè ſubjectæ.

15. In cauſis matrimonialibus Auguſtanæ & Reformatæ Religionis.

16. In cauſis feudalibus.

17. In quatuor modis provocationis nullitatis. *Bl. P. C. tit.* 56. *inf. tit.* 48. 49.

18. Appellationis. *Bl. tit.* 44. *inf. tit.* 44. 45. 46. 47.

19. Reſtitutionis in integrum adversùs ſententiam Judicis inferioris. *Bl. tit.* 57. *Vid. inf. tit.* 49.

20. Reductionis ad arbitrium boni viri. *Bl. Proc. Cam. t.* 58. *infr. t.* 50.

21. Ex capite nonnullorum actuum uti ſunt, v. g. Commiſſiones ad examen teſtium ad perpetuam rei memoriam; in cauſis ad Auſtregas pertinentibus. *Bl. t.* 42. *n.* 1. *infr. t.* 22.

22. Executio laudi homologati contra immediatum. *Bl. B.C. tit.* 42. *n.* 5.

23. Confirmatio Tutorum. *ibid. n.* 11.

24. Confirmatio contractuum inter immediatos initorum. *ibid. n.* 18. *inf. tit.* 11.

25. Adoptio arrogatio. *inf. t.* 6.

26. Emancipatio. *ibid. n.* 23. *infr. tit.* 7.

27. Notariorum creatio. *inf. t.* 9.

XLVIII. Obſervet Referens cauſarum Ordinem, ut referat negotia Cæſaris & Imperii, & 1. cauſas ſpecialiter à Cæſare juſſas, & cum voto ad eum ſinè mora remittat. R. H. O. *tit.* 4. §. Und ſoll. 6. *Decr. de* 28. *Maji* 1638. §. 10.

2. Cauſas morum non admittentes, v.g. carceratorum, pignorationum & criminalium. R. H. O. *tit.* 4. §. 7.

3. Pauperum, Viduarum, Pupillorum, & qui aulam neceſſitate coacti ſequuntur. *ibid.* §. 8.

4. Cauſas fiſcales, quibus Conſilium, quavis ſeptimanâ unam integram

gram ſeſſionem indulgeat. *ibid.* §. 9. nimirum die Veneris. juxta *Reſol. Ferd. II.* §. 18.

· 5. Cauſas privilegiatas ante cauſas non privilegiatas. *ibid.* §. 10.

6. Cauſas antiquiores, & in quibus priùs ſubmiſſum eſt, quàm recentiores. *ibid.* §. 10.

XLIX. Si pro proceſſibus ſupplicatur, accuratè videat, ne privilegiis, de non appellando, vel primæ inſtantiæ, vel auſtregarum juribus, aut Magiſtratibus præjudicet, nec facilè ſubditis contra Magiſtratus mandata aliosve proceſſus decernat, ſed iisdem priùs pro informatione reſcriptum decernat, & ſi fortè ad proceſſus ejusmodi, per falſa narrata, decernendas, inductus fuerit, eos annullet & caſſet, imò frivolos litigatores mulctet. R. H. O. *T.* 2. §. **Wir befehlen** *II. in princ. R. J. N.* §. **Beynebens** 105. §. **Dritʒtens** *III.*

L. Quandoque Procuratores & Advocati, cum pro proceſſibus ſupplicant, libellum non bene inſtruunt, nec

petunt

petunt petenda, nec narrant facta ad petitum proceſſum aut juris remedium tendentia; nè verò Partes propter alienos errores patiantur injuſtitiam, ſolet præambulariter decerni, uti petitum, ità denegatur, wie gebetten alſo abgeſchlagen/ quo indicatur, quod defectus fuerit in Concluſione & petito, v. g. quod proceſſus tales quales petiti ſunt non habeant locum, ſed ſi alios juxta Conſtitutiones petat, decerni poſſint. Item ad narrata denegatur, auf vorgebrachte narrata abgeſchlagen. Quo innuitur vitium eſſe in narratis, v. g. quod requiſitum quoddam Conſtitutionis, ex qua ſupplicatur, omiſſum fuerit, vel quod narrata ſint vaga ad nullam Conſtitutionem directa, aut cum petito non correſpondeant.

Item ad productum inſtrumentum, vidimus cautionem & ſimilia denegatur, auf vorgebrachtes Inſtrumentum, auf vorgebrachtes Vidimus, auf vorgebrachte Caution abgeſchlagen; Quod innuit producta

ἆa inſtrumenta non ſufficere ad obtinendum petitum.

LI. Cum autem ejusmodi concluſa præliminaria ideo emanare ſoleant, ut Procuratores libellum propartium commodo corrigant, in Conſilio Imperiali Aulico fieri ſolet, ut ne partibus eorum ignorantia, vel error noceat, oretenus per Secretarios indigitetur, in quo erraverint.

LII. Denique relationem ipſam poſt cauſæ concluſionem quod concernit, videatur infra de relatione tit. 55.

TITULUS V.

De Referentis munere in cauſis voluntariæ juriſdictionis, & quidem Primo

De Tutorum & Curatorum confirmatione.

I.

SI quis ſe Tutorem aſſeruerit, & quâ talem confirmari petierit, videri-

dendum, an ſupplicans probaverit? I. Pupillum eſſe immediatum, aut ſub jurisdictione inter duos immediatos controverſa morantem. 2. Se vigore Teſtamenti producendi eſſe Tutorem Teſtamentarium, vel proximum agnatum, adeoque legitimum Tutorem. *Bl.T.*42. *n.*11. 12. 13.

II. Videndum, an ſupplicans pro confirmatione exhibuerit mandatum Procuratorium ad præſtandum Juramentum Tutelæ in animam Tutoris? in quo Tutor de legitima adminiſtratione tutelæ cavere tenetur, ſub obligatione omnium Tutoris bonorum. *Bl. Proc. Cam. ibid. n.* 15.

III. Si fortè Mater ſe velut Tutricem confirmari velit, videndum eſt, utrum ſecundis nuptiis, & Senatûs-Conſulto Vellejano per Doctores certiorata renunciaverit, & deſuper mandatarium vigore Procuratorii jurare juſſerit; uno enim ex hiſce deficiente denegatur petitum, aut Referens dicet: Si ſupplicans ſecundis nuptiis & Senatûs-Conſulto Vellejano (deſuper priùs

à Ju-

à Juris Conſulto coram duobus teſtibus certiorata) renunciaverit; ac inſtrumentum de eo confectum exhibuerit, ratione admiſſionis ad Juramentum Tutelæ, ſequetur ulterior reſolutio.

IV. Hoc itaque præviè præſtito, ad ulteriorem petitionem, dicat Referens; Admittatur ad Juramentum Tutorium.

V. Verùm, ſi Mater porrò nuberet, & Tutores Filios ſibi ad educandum poſtularent. Referens dicat, reſcribatur, aut injungatur Matri, ut filios unà cum hæreditate paterna Tutoribus exhibeat.

VI. Si quis curatorem pro Minorenni petierit, videndum, an ſupplicans docuerit de Conſenſu Minorennis? cum huic invito non detur Curator. *Bl. T.* 42. *n.* 14.

TITULUS VI.

De Adoptione & Arrogatione.

I. Si

I.

SI petatur confirmatio adoptionis, aut arrogationis, videndum eſt, quid Jura Communia de ejusmodi ſtatuant. *In Inſt. T. de adopt. Tit. quibus modis Jus Patriæ poteſt. ſolvitur* §. 8. *Bl. t.* 42. *n.* 23.

II. Adoptionibus & arrogationibus æquiparantur hodie ferè prolium uniones, eine Kindſchaft.

TITULUS VII.

De Emancipatione.

SI quis deſuper ſupplicet, obſervandum Jus Commune. *Inſt. Tit. quibus modis Jus Patr. poteſt. ſolvitur* §. 6. 7. *Bl. T.* 42. *n.* 23.

TITULUS IIX.

De Legitimatione Liberorum.

VIdendum nè in præjudicium agnatorum, aut liberorum legitimorum concedatur. *Bl. t.* 42. *n.* 23.

TITULUS IX.

De Notariorum creatione.

I.

Si quis Notarius Imperii creari deſiderat: eo fine ſupplicet & appo-nat I. Documentum honeſtæ nativitatis. 2. fidei & induſtriæ teſtimonium à ſuo Magiſtratu ſignatum. 3. ſuam manum & ſignetum, quo velut Notarius uti velit. 4. ut ſe ad examen offerat.

II. Hoc prævio, Referens dicat: Admittatur ſupplicans ad examen.

III. Deinde denuo ſupplicet & extractum protocolli apponat. Et, ſi præſens in Aula Cæſarea fuerit, petat, ut Conſiliarii denominentur ad ſui examen, aut ſi abſens fuerit, petat reſcriptum ad Magiſtratum ſuum, ut ibidem examinetur, cujus alterutrum ipſi annuatur.

IV. Porrò, examine finito, rurſus ſupplicet, ſeque ad Dominos Examinatores referat, aut verò ſi abſens, à

Ma-

Magiſtratu ſuo examinatus fuerit, de eo teſtimonium examinis producat, & pro immatriculatione ſupplicet petatque, ut ſibi dies & hora aſſignetur ad præſtandum juramentum, aut verò ſi abſens fuerit, ut reſcribatur Magiſtratui ſuo, ut, coram eodem, ad juramentum notariale admittatur.

V. Verùm ſi ſupplicans jam antea fuerit à Magiſtratu ſuo examinatus & in Notarium loci admiſſus; deque eo in primo ſuo libello documentum appoſuerit. Idque teſtetur, quod uti Notarius Imperii immatriculandus in examine ſubſtiterit dicto reſcripto ad ulterius examen non indiget.

VI. Meminerit autem Candidatus, ſe non admitti ad juramentum, niſi priùs officio taxæ ſatisfecerit, unde Referens, ad libellum ejus, niſi quietantiam exhibuerit, dicet, ſi ſupplicans officio taxæ ſatisfecerit, ratione admiſſionis ad juramentum ſequetur ulterior reſolutio.

VII. Poſtquam igitur quietantiam porrexerit, decernatur. Admittatur

ad juramentum proxima die N. vel reſcribatur Magiſtratui N. ut ipſum admittat ad juramentum Notariale, quo facto expediatur ipſi diploma Notariale.

VIII. Sciendum autem eſt, quod ejusmodi Notariis liceat quidem inſtrumenta publica facere & proceſſus inſinuare deque eo documenta edere quodque illis eatenus fides habeatur, ſed eorum vidimationibus non credatur, etiamſi inſtrumentis ſuis inſeruerint. *Bl. t.* 63. *n.* 38. Cum aliæ vidimationes nec in camera nec hic fidem faciant, quàm, quæ à ſtatu, vel Magiſtratu immediato vel à Regiſtratore Imperiali Aulico factæ ſunt. *Bl. t.* 63. *n.* 37.

IX. Non ignorent etiam immatriculati Notarii, quod quidem jus inſinuandi proceſſus habeant extra Aulam Cæſaream, ſed in Aula Janitor Conſilii eos exequatur.

X. Cæterum, cum Officio ſuo funguntur, ubique in Imperio tuti ſunt, & inviolabiles, & ſi forte violantur, Fiſcus

ſeus Cæſareus contra violatorem, citationem ad videndum ſe incidiſſe in pœnam des Gleit-Bruchs jurium & conſtitutionum Imperii obtinebit. *Bl.t.*65. *n.* 50.

Vid. exemplum Gerardi Arnoldi Martens in protocoll. de anno 1707.

TITULUS X.
De Teſtamentorum oblatione & Publicatione.

I.

SI quis Teſtamentum ſuum offerat ſummo Principi, id eſt, in Conſilio Imperiali Aulico, Referens dicat: Ad acta & probe aſſervetur. Quod proinde in Archivo & ſingulari ſcrinio bene aſſervandum erit.

II. Si porrò hæres poſt mortem Teſtatoris, teſtamentum publicandum petat, decernatur, fiat præſentibus intereſſatis proxima die N.

III. Comparente itaque hærede, vel intereſſato teſtamenti publicationem conſecuto, teſtamentum coram

pleno Conſilio aperitur, ſalvis integris ſignaturis, & porrò deſuper ſcribitur: Publicatum die N. ejusque copia concedatur intereſſatis ex Cancellaria.

IV. Neque enim opus eſt, ut legatur publicè in præſentia teſtium, nec ut teſtes ex officio citentur & manus ſigillique ſui ſignaturam recognoſcant. Hoc enim is demùm movere & prætendere noverit, qui fortè teſtamentum, ex capite teſtium, impugnare voluerit.

V. Si verò Teſtes convocati comparuerint & ſigilla manusque ſuas recognoverint, dicatur: Publicatum die N. præſentibus teſtibus manus ſuas & ſigilla recognoſcentibus; eoque evitatur Cavillatio ratione teſtium.

TITULUS XI.

De Unionibus, Confraternitatibus, & Contractibus

ctibus familiarum, Primo-Genituris, Fidei Commiſſis, Teſtamentis, Transactionibus earumque Confirmatione.

I.

SI quis ſupplicet, pro Confirmatione Unionis fortè liberorum, aut familiarum, Confraternitatis, Contractûs, aut Transactionis; videat Referens: I. An Contractus, aut transactio in originali, vel copia ab Archivario vel Regiſtratore Imperiali authenticata ſit allegata, aliàs decernet: Si ſupplicans illam in Cancellaria vidimatam appoſuerit, ſequetur ulterior reſolutio. R. H. O. *tit.* 2. *in princ. & tit.* 3. §. warumb Kauf. 14.

2. Videat, an intereſſati, & contrahentes ſint immediati? vel ſub diverſis Principibus morentur? nam aliàs remittet illos ad ſuos Dominos.

3. An omnes intereſſati & contrahentes ſimul ſupplicaverint? aliàs decernet: Si ambo vel omnes ſupplicaverint, ſequetur ulterior reſolutio.

4. Videat, an fortè in reliquorum, agnatorum, aliorumvé præjudicium, vergere poſſit? tunc enim decernet. Communicetur reliquis agnatis, & intereſſatis, vel Reſcribatur Principi, vel ſtatui Vicino pro informatione.

II. Si unio familiarum vel confraternitas ſit antiqua, & quidem inter Electores Principes, & Status decernet, Fiat, & ubi circumſtantiæ rerum, aut perſonarum, id exigunt, addet clauſulam, Quatenus hucusque uſitatum, & in poſſeſſione fuerint. *Cap. Joſ. art. 8.*

III. Deinde ſemper addat clauſulam generalem, ſalvo ſuæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, Imperii & tertii cujuscunque jure.

IV. Denique etiam neceſſe eſt, ut cum altioris indaginis fuerit, priùs refe-

referat Cæſareæ Majeſtati, nimirùm Conſilium habere, aut non habere rationes denegandi preces, ad quod porrò expectetur reſolutio Cæſarea.

V. Idem ferè dicendum, ubi quis petit confirmationem fideicommiſſi, primo-geniture, teſtamenti, privilegiorum antiquorum &c.

VI. Si verò quis petat Confirmationem ſuper actu Juris Civilis, v. g. ſuper adoptione, vel electione, decernatur confirmatio etiam in vitâ alterâ parte. *Blum. Proceſſ. tit. 22. n. 19.*

TITULUS XII.

De Venia ætatis.

I.

SI quis petat veniam ætatis, videat Referens, an ſupplicans probaverit, 1. ſe habere annos viginti, fœmina 18.

2. Se eo usque bonorum morum, & vitæ fuiſſe.

3. Se Frugalem capacemque eſſe ad-

miniſtrandæ rei familiaris, quod ultimum in fœmina ſupponitur, ideoque non probandum, quæ requiſita ſi adſint, perque Magiſtratum vel Tutorem adſtipulentur, decernet Referens, fiat votum ad Imperatorem dari poſſe.

4. Notandum, quod Imperator ex plenitudine poteſtatis quandoque posſit diſpenſare, usque ad annum 18. completum: maximè in Principibus, cum ſua regimina bene ordinata habeant; ſed notandum, quod hi tales veniam impetrantes ſuorum fratrum, aliorumve Agnatorum minorennium Tutores ſeu Curatores eſſe nequeant.

TITULUS XIII.

De Jure Pedagii, Weg=Geld / *Nundinarum, Patriciatûs, Incolatûs, Civitatis &c.*

SI quis petat ejusmodi privilegia, quæ in alterius præjudicium vergere poſſunt, decernet Referens reſcriptum pro informatione ad Vicinos, ſeu Duces circuli vel Magiſtratum, imò & ad intereſſatos, aut eis libellum ſupplicem communicandum jubebit: neque privilegium ejusmodi concedet, niſi Jus, æquitas, & merita ſupplicantis id exigant, prævio votô ad Imperatorem.

TITULUS XIV.

De Privilegio Impreſſorio.

I.

SI quis in uno eodemque libello diverſa privilegia ſuper diverſis libris petierit, Referens dicat: Si ſuper quovis libro ſeparatim imploraverit, ſequetur ulterior reſolutio, ne fiat Confuſio in Regiſtratura.

II. Deinde in rubrica memorialium præponatur Authoris nomen, & non Typographi ſupplicantis.

III. Si quis ſemel in Conſilio Imperiali aulico libellum ſupplicem, pro privilegio impreſſorio, exhibuerit & poſtea in Cancellaria deſuper ſupplicet, & vice verſâ, privilegio fortè impetrato non gaudeat.

IV. Cæterùm privilegii impreſſorii conceſſio minoris eſt difficultatis, nam, uti juxta vetuſtiſſimam conſvetudinem & Poteſtatem Imperator nonniſi ſolum jus mechanicum, ſeu mercatorium imprimendi largitur, ità non eſt opus libri materiam, dignitatem, aut religionem conſiderare: Omnium enim religionum in Imperio toleratarum Imperator eſt, ità Referens ſtatim dicat detur ſupplicanti petitum privilegium, ad tot annos (nulli enim in perpetuum concedendum, niſi forte Authori) ſub clauſulis ſolitis & niſi jam tum alius eo ſit munitus.

V. Clauſulæ ſolitæ autem Privilegio inſerendæ, aut, etiamſi non inſerantur, tacitè intelligendæ hæ ſunt, ut, 1. liber nihil contineat contra

bonos mores. 2. Pacem religioſam. 3. Conſtitutiones Imperii. 4. Annectat libri frontiſpicio, aut tergo approbationem Univerſitatis, vel Magiſtratûs, aut Superiorum, ſub pœna confiſcationis. 5. Ut quinque exemplaria pro Imperatoris Bibliotheca, Præſide, Vice-Cancellario, Referente & Secretario exhibeat.

VI. Hoc obtento, aut potius antequam ſupplicet, Impetrans indaget in Archivo & Officio Taxæ; an non alius jam tum de eodem libro impresſorium obtinuerit, ex taxa redemerit, & Cæſareo Commiſſario librario Francofurti inſinuaverit, ſi namque alius forte prius obtinuerit, ſed dicto commiſſario non inſinuaverit, aut Privilegium ex officino Taxæ intra menſem non levaverit, noviſſimus Impetrans, priusquam eluens, & inſinuans privilegio, tametſi poſteriùs obtento, gaudeat.

VII. Si fortè ſupplicans ſit extra Imperium, aut difficilioris conventionis, prævio ipſi injungatur, ut an-

te privilegii expeditionem de tradendis quinque ſolitis exemplaribus per Agentem Imperialem aulicum caveat.

VIII. Accidit aliquando, quod quis in præjudicium aliorum bibliopolarum petat privilegium, & obtineat, ne alii librum quendam imprimere audeant, poſtea verò librum prœlo clare negligit; ut eo pretioſior evadat. Ut autem huic dolo occurratur, nunquam detur privilegium à tempore editionis, ſed à die conceſſionis, & hac quidem conditione, ut ſi liber magnus ſit, & prælum longo tempore, magnisque ſumptibus indigeat, intra ſemeſtre impetrans doceat de cœpto prælo, intra annum autem de eo finito, aut rationes authentice alleget, quare abſolvere non potuerit.

TITULUS XV.

De Conſervatorio, Protectorio,

ctorio, Salva Guardia, & Salvo Conductu.

I.

SI quis petat Conſervatorium, id eſt, quosdam Conſervatores pro ſua defenſione: videat Referens, 1. an is, qui petit, ſit Status aut immediatus Imperii? 2. An docuerit, ſe juſtas cauſas habere timendi inſultus, aut aggreſſionem ab alio Statu, vel immediato? & decernet: Concedatur ſupplicanti conſervatorium, in unum alterúmve Statum, aut plures Vicinos, à ſupplicante forte deſideratos, qui eidem in caſum aggreſſionis aſſiſtant, aliàs remittat ſupplicantem, non immediatum ad ſuum Principem ac Dominum. *Cap. Joſ. art.* 8.

II. Si quis petat Protectorium, id eſt, ut Imperator ſupplicantem in tutelam & protectionem ſuam ſuſcipiat, eoque fine diploma eroget; videat Referens: 1. an ſupplicans ſit

im-

immediatus? an juſtam cauſam habeat à potentiore ſibi timendi? tunc enim decernet: Fiat; aliàs ad ſuum Dominum remittet. *Cap. Joſ. art. 8.*

III. Salva Guardia datur plerúmque prædiis pro immunitate ab hoſpitationibus, & exactionibus militaribus & quandoque protectorio annectitur & plerumque extrajudicialiter ex Cancellaria obtinetur.

IV. Salvus-Conductus alius eſt judicialis, alius extrajudicialis; hic datur perſonis itinerantibus, & vulgariter vocatur liber paſſus & quidem vel ſimplex, id eſt, ut ſolummodò cum famulis & Sarcinis liberi & tuti itinerari valeant; vel cum armis, ut nimirùm etiam unà cum Sclopetis & bombardis ad defenſionem libere proficiſcantur, & uterque extrajudicialiter ex Cancellaria impetratur, hic verò ab Italis potiſſimum deſideratur.

V. Salvus-Conductus judicialis verò ille eſt, qui debitoribus, aut criminoſis datur, vel ad Judicium, zum Rechten/ vel ad & abs Judicio, zum

und

und vom Rechten / qui uterque judicialiter, & non ſine cauſæ cognitione datur.

TITULUS XVI.

De Moratorio.

I.

SI quis fortè pro moratorio ſupplicaverit; Referens dicet: Reſcribatur ejus Magiſtratui pro informatione.

II. Eâ ſecutâ non concedatur niſi juſtitia & æquitas fortè ob temporum injurias, caſum fortuitum, aut ſupplicantis innocentis infortunium, ità dictaverit, isque credita ſufficientia habeat, unde, tempore ſaltem fauſtiore, ſatisfacere poſſit.

III. Poſtquàm hæc requiſita adfuerint, Referens decernet: Fiat votum ad Imperatorem, quo eidem dicatur poſſe concedi moratorium ad tot annos, *Bl. tit.* 34. *n.* 220.

TITU-

TITULUS XVII.

De Conſenſu ad alienandum vel hypothecandum feuda.

I.

SI quis ejusmodi conſenſum vel confirmationem petierit, videat Referens: 1. An Agnati in ejusmodi alienationem conſenſerint. 2. An ambæ Partes contrahentes ſimul ſupplicent? 3. An conventionem ſeu contractum in originali ſeu forma authentica exhibuerint? 4. An Vaſallus non habeat allodialia, unde ſolvere aut cavere poſſit? 5. An feudum non ſit brevi vacaturum?

II. Ne igitur, dum fortè unum alterúmve deeſſet, in aliquo ejusmodi quidquam præjudicii oriatur: Referens dicet: Reſcribatur Vicinis Principibus, Rebuspublicis, aut Convaſallis, ut ſuper feudo ejusque ut

&

& ſupplicantium circumſtantiis, & petitionis meritis ſe informent, & an feudum non ſit brevi vacaturum? nec ſupplicans habeat allodialia ad alienandum, vel hypothecandum & ſolvendum ſufficientia? vel ipſi, vel per ſuos ſubdelegatos indagent, deque omnibus hiſce ſuam Cæſaream Majeſtatem intra bimeſtre reddant certiorem.

III. Hæc informatio, ſi ſecuta fuerit, Referens dicet: Ad acta & communicetur ex Cancellaria ad preces Partium.

IV. Si poſthac ſupplicans ulteriores faciat Inſtantias, pro conſenſu Cæſareo, Referens, cùm adhuc deſint aliqua requiſita, ità dicet: v. g. Si ambæ Partes contrahentes ſupplicaverint, nec non agnatorum conſenſum, ut & conventionem in originali, ſeu forma per Cancellariam Imperialem, authenticata produxerint &c. ſequetur ulterior reſolutio.

V. Poſt-

V. Poſtquam igitur omnia requiſita adfuerint, Referens conſenſum ad alienandum purè; ad hypothecandum verò, non niſi ad certos annos conſulet, & dicet: Fiat votum ad Imperatorem ſupplicantibus conſenſum ad alienandum purè; ad hypothecandum verò ad tot annos concedi poſſe. R. H. O. *tit.* 3. §. Wann um Kauff.

VI. Cœterùm ſi quædam eſſentialia requiſita deſint, Referens dicet. Petitum non habet locum.

VII. Si verò ex contractu emptionis, aut hypothecationis appareat, quod ambo contrahentes, conſenſum Cæſareum non reſervaverint. Referens dicet: Communicetur contractus Fiſcali, ut Officio ſuo fungantur.

TITULUS XVIII.

De Inveſtitura.

I.

OBſervandum, ut feudum ſit, catalogo feudorum in menſa

Con-

Conſilii aſſervando inſcriptum. Utque omnia prædia, & bona ad feudum, illud pertinentia in Inveſtitura ſpecificentur.

II. Ut in protocollis ſemper non à perſonis poſſidentibus, utpote mutabilibus, ideóque facilioris oblivionis, ſed à feudi nomine rubrica fiat, tàm à Secretario, quàm Protonotario, & officio Taxæ.

III. Feudum alicujus momenti vacans, non concedatur, nec ejus expectantia detur alii, niſi cum Electorum præſcitu *cap. Leop. & Joſ. art.* 30.

IV. Si Vaſallus renovationem Inveſtituræ petierit, videndum; an Vaſallus novam Inveſtituram infra annum, & diem à die Mortui Imperatoris, aut Regis Romanorum, aut vaſalli ſæcularis, Eccleſiaſtici verò à die electionis computandum petierit; aliàs & niſi intereà indultum obtinuerit, decernet: Communicetur ex officio Fiſcali, ut ſuo fungatur officio.

V. Si

V. Si Vaſallus ipſemet in Aula ſit, & per Procuratorem inveſtituram petat, perque illum homagium præſtare velit, decernet: Si Vaſallus ipſe ſupplicaverit, & homagium præſtare voluerit ſequetur ulterior reſolutio.

VI. Si verò Vaſallus maximè in feudis majoribus Fahnlehen / ex juſta cauſa in Aula Cæſarea ad præſtandum homagium comparere nequeat; videndum quem Procuratorem conſtituerit? nam ſi Elector, aut alius Princeps in feudis majoribus non conſtituerit vel ablegaverit Perſonam Illuſtrem ex ſuis, decernet Referens, ſi Dominus Elector vel Princeps Perſonam Illuſtrem ad præſtandum juramentum ablegaverit, ſequetur ulterior reſolutio. *decret. de* 21. *Jul.* 1659. *Et reſol. Cæſ.* in der Sachſen-Weinmariſchen Lehn-Sachen *de* 16. *Aug.* 1688. *in Protocoll. Germ. fol.* 25. Habetur autem pro Illuſtri, Baro & Eques annatarum octo vel ſedecim; novus Eques autem non.

VII.

VII. Videndum, utrum vaſalli Procurator appoſuerit ultimam Inveſtituram ab Archivario, ſeu Regiſtratore Imperiali Aulico vidimatam?

VIII. An documentum mortui ultimi Vaſalli à Parocho, aut Magiſtratu loci produxerit?

IX. An documentum appoſuerit, quo doceatur, quod ſupplicans ſit proximus agnatus & ſucceſſor in feudo?

X. An produxerit Procuratorium, cum clauſula jurandi in animam vaſalli? R. H. O. *tit.* 3. §. Es ſollen auch die *Agenten* 7.

XI. Si ſupplicans ſit Eccleſiaſticus, videndum: an Ejus Procurator, præter alia requiſita, etiam exhibuerit I. Documentum legitimæ electionis, aut poſtulationis à capitulo ſignatum; 2. Confirmationem Papalem; & 3. Breve Apoſtolicum ad Imperatorem, omnia in originali? quæ poſtea retentis copiis à Regiſtratore vidimatis reſtituuntur excepto Brevi Apoſtolico.

XI. An

XII. An Vaſallus ejusvé Procurator omnia requiſita illa ſimul & ſemel appoſuerit?

XIII. Si ex omnibus iſtis unum alterumvé intra annum & diem non adduxerit, nec indultum petierit, tunc in uſu quidem fuit, ut decerneretur, quod ſi ſupplicans hoc vel illud præſtitiſſet, ſequetur quod Juris: ſed decreta *de* 22. *Octob.* 1657. *&* 18. *Mart.* 1659. jubens, ut Fiſcalis moneatur officii ſui.

XIV. Si hæc omnia reſpectivè adſint juſtificata, tunc in feudis Electoralibus Referens decernet: Fiat Votum ad Imperatorem, omnia requiſita eſſe, ad impleta, ideoque à ſua Sacra Cæſarea Majeſtate ſtare, ut diem & horam Domino Electori, ejusvé ablegatis, ad præſtandum homagium ſignificare dignetur, qui per ſupremum Aulæ Præfectum Ablegatis indicari conſuevit.

XV. Electores, uti & Abbas Campidunenſis tanquam Imperatricis Archi-

Marc-

Mareſchallus, dum inveſtiuntur, Electoribus nihil ſolvunt, adeoque nec eorum Vicariis.

XVI. Cæteri verò Principes ſolvunt officialibus Curiæ ſexaginta tres marcas argenti cum uno fertone, in hodierna moneta mille & octuaginta unum florenos Rhenenſes, quæ à Magiſtro curiæ ſequenti modo dividuntur, decem marcas retinet pro ſe, Cancellario Curiæ Imperialis dat decem marcas, Magiſtris, Notariis, Dictatoribus tres, ſigillatori pro cera & pergameno unum fertonem. Deinde dat Magiſter Curiæ Pincernæ de Limburg decem marcas, Magiſtro coquinæ de Nordenberg decem, Vice-Mareſchallo de Papenheimb decem, cui etiam equus debetur, quo inveſtitus utitur; Camerario de Falckenſtein decem. Si præſentes fuerint, aliàs iis dabitur, qui eorum Officiis funguntur, Magiſter curiæ inſuper habet ædificium, vel apparatum ligneum, ubi Imperator, aut Rex Romanorum cum Electoribus ſederit, & inveſtituram dederit. Aur. Bull. tit. 24. *de juribus Officialium*, §. *Prædictarum.* & §. *Præterea.*

XVII. Poſtquam ablegati, de hiſce præſtitis docuerint, decernet Referens: Fiat Votum ad Imperatorem, uti ſuprà.

XVIII. In feudis minoribus verò, ultra omnia iſta requiſita, adhuc docere debet, Vaſallus ejusvé Procurator de ſoluta prius taxa, & Juribus Cancellariæ; aliàs decernet Referens: Si ſupplicans de præſtitis præſtandis docuerit, ſequetur ratione admisſionis ad Juramentum ulterior reſolutio, aut verò, ſi, poſt decretum admiſſionis, taxam non ſolverit, intra menſem, nec ulteriorem terminum petierit, caſſatur decretum & Fiſcus monetur Officii contra Vaſallum. *Decret. de* 13. *Auguſti* 1659. ſciat autem Vaſallus neceſſe eſſe, ut, ſi ipſe adeſſe & jurare nequeat, Procuratorem directè conſtituat, cum aliquis ab ejus Ablegato, ſeu primario Procuratore ſubſtitutus non admittatur, ad juramentum clientelare.

XIX. Præſtitis autem præſtandis omnibus, ratione feudorum majorum, Domi-

Domini Electores & Principes, aut eorum ablegati, ſecundum ceremoniale aulicum, quod quandoque juxta convenientiam mutatur, homagium clientelare coram Throno genuflexi præſtant & inveſtiuntur.

XX. Cæteri verò Vaſalli minores in Conſilio Imperiali aulico foribus apertis homagium præſtent, hac diſtinctione, ut Vaſallus Germaniæ, ejusvé Mandatarius, ſtantibus Dominis, Præſide & Conſiliariis, ſtans juramentum à Secretario prælectum repetendo præſtet, ac poſteà Dominum Præſidem manus ejus deoſculaturus accedat; Vaſallus Italiæ ejusvé Mandatarius ſuper ſtragula, ſub Domini Præſidis, in ſubſellio ſuo rubro holoſerico, loco ordinario ſupremo ſedentis, pedibus expanſa, genu flexus, ac tribus digitis, ſuper libro Evangelii in Domini Præſidis genibus jacente poſitis, juramentum omnibus conſiliariis ſtantibus in animam ſui Principalis à Secretario prælectum de verbo ad verbum repetit, eóque finito ma-

nus ejusdem Domini Præſidis deoſculatur.

XXI. Cum autem Vaſallus legitimè impeditus fuerit, quò minùs Inveſtituræ neceſſaria intra annum & diem præſtare poſſit, neceſſe eſt, ut indultum petat, ejúsque taxam ſolvat, quod niſi fecerit, Referens dicat: Moneatur Fiſcalis Officii ſui.

XXII. Si Vaſallus minorennis fuerit, id eſt, Elector nondum 18. annorum, alius verò Princeps nondum 25. annorum. Ejus Tutores primum ab Imperatore, poſt præſtitum ab ipſis juramentum tutorium, confirmati, loco Vaſalli, ſuperiora obſervent; ubi notandum, quod pupillus major factus juramentum illud clientelare repetere debeat.

XXIII. Quoad Inveſtituram ſimultaneam verò obſervandum: 1. An Inveſtitura ſimultanea in familia ſupplicantium ſit recepta? R. H. O. *tit.* 3. §. In welchen Geſchlechtern. 11. 2. An eorum Procurator Mandatum jurandi ab omnibus ſubſcriptum produxe-

duxerit. 3. An mandato inſerta ſit clauſula jurandi in eorum animas? 4. An ſi fortè Vaſalli pupilli forent, Procurator Tutorium adduxerit, ac mandatum ab ipſis Tutoribus ſubſcriptum ſit, cum dicta clauſula in animas Tutorum jurandi. 5. An aliqui inter Coinveſtitos mortui fuerint. Eorumque Hæredes Inveſtituræ renovationem intra annum & diem petierint? Nam ſi ſecus ſit, Referens decernet: denegatâ inveſtitura moneatur Fiſcalis Officii ſui. R. H. O. *tit.* 3. §. So offt auch. 8.

XXIV. Quoad parva feuda Norimbergenſia Culinaria, Nürrenbergiſche Kuchel-Lehn / multis conceſſa, ſi quis Vaſallorum renovationem Inveſtituræ ſuper ejusmodi petierit, videat Referens: 1. An ſupplicans ſit Adminiſtrator, ſeu Lehn-Träger. 2. An is doceat de morte prioris Adminiſtratoris? 3. Si aliquis ex Convaſallis dictorum feudorum Culinarium obierit, an Adminiſtrator der Lehn-Träger / aut mortui Succeſſor, id Sa-

cræ Cæſareæ Majeſtati, ſeu Conſilio Imperiali Aulico, per libellum ſupplicem tanquam caſum ſimplicem, einen ledigen Fall / in tempore inſinuaverit, & rogaverit, ut ad acta regiſtretur, & recognitio detur;

XXV. Hæc itaque ſi juſtificata fuerint, Adminiſtrator ad Inveſtituram admittatur, aliàs decernatur, Fiſcalis moneatur ſui Officii. R. H. O. *tit.* 3. §. In der Nürrenb. 10. §. Dieweil auch. 17.

XXVI. Sciat verò Adminiſtrator der Lehn-Träger / quod ſi quis Vaſallorum, tempore ſuæ Adminiſtrationis, Zeit ſeiner Lehen-Trägerey obierit, illius mortem Imperatori, ſeu Conſilio Imperiali Aulico intimare, deque facta tali intimatione ſua documentum einen Muthſchein petere debeat, aliàs moneatur Fiſcalis Officii ſui, uti dictum eſt.

XXVII. Si itaque caſum illum dem ledigen Fall / inſinuaverit Referens dicet: Ad acta, & detur ſupplicanti recognitio, ein Muthſchein.

XXVIII.

XXVIII. Cæterum ſciendum, quod Vaſalli minorum feudorum ſede Imperatoria, aut Regia Romanorum vacante, ab Electore Palatino Inveſtituras requirere debeant, quæ poſteà ab Imperatore confirmandæ ſunt. *Aur. Bull. tit.* 5.

TITULUS XIX.

De Promotorialibus, requiſitorialibus, aut recommendatitiis.

I.

SI quis petat promotoriales, requiſitoriales, aut recommendationes ad Juſtitiam, aut gratiam, videat Referens, 1. an illas petat ad Principes exteros & Imperatori non ſubjectos, aut ad Miniſtros Cæſareos in Aulis exteris morantes. 2. An juſtas & rationabiles cauſas habeat ejusmodi petendi. Referens dicet: Fiat votum ad Imperatorem ſupplicanti concedi poſſe, cujus reſolutio expectabitur.

II. Si verò quis promotoriales pro juſtitia, aut alio effectu petierit, ad Principem Imperatori ſubjectum? videat Referens, an cauſa rationabilis petendi ſubſit? & absque voto ad Imperatorem, ſupplicanti annuat. Quibus ſi judex, non paruerit procedatur uti *tit.* 40. dicetur.

III. Cum pleræque cauſæ gratiales, & voluntariæ jurisdictionis Imperatori priùs referendæ ſint, notandum eſt, quod ejusmodi per votum Fiat: quod à cauſæ referendario concipitur, deinde in Cancellaria deſcribitur, cui cauſæ Secretarius diem, & nomina Præſidis & Conſiliariorum voto præſentium, unà cum ſuo ſubſcribit, & Vice-Cancellario exhibet, per cauſæ Secretarium porrò Imperatori in Conſilio intimo, in præſentia Referentis, & aliquot Conſiliariorum, referendum. *Ord. Ferd. I.* §. Wo auch. 19.

IV. Hodie Vice-Cancellarius illud, quandóque ipſe ad Partem Imperatori refert ejúsque reſolutionem cum die, ſua manu, inſcribit & ſubſcribit. Quandóque

dóque per Secretarium Imperatori in Conſilio intimo referri curat, qui ejus reſolutionem cum dio & nominibus omnium præſentium Conſiliariorum intimorum, ſuúmque ſubſcribit.

V. Quandóque etiam Vice-Cancellarius votum ejusmodi Cæſari conſiderandum porrigit, qui ſuam reſolutionem ipſe propriâ manu inſcribit, & ſubſcribit, atque ita Vice-Cancellario clauſum reſtituit: qui deinde votum reſolutum PræſidiConſiliiAulici remittit, ut Reſolutio Cæſarea, ibidem publicetur, protocollo judiciali inſeratur, ac Partibus per extractum extradatur, ac deniq̀ue expediatur. R.H.O. t.5. §.20.

TITULUS XX.

De Referentis munere in cauſis juriſdictionis contentioſæ de Commiſſione ad Auſtregas.

I.

AUſtregæ pro immediatis introducta ſunt, ut, cum aliàs immediatè

coram Conſilio Imperiali Aulico conveniantur, ſaltem adhuc inferiorem habeant inſtantiam, ne ſint deterioris conditionis, quam ſubditi ſui.

II. Habet autem Auſtregarum Judicium jus cauſas ad ſe delatas decidendi, ſed non Sententias ſuas exequendi.

III. Auſtregæ aliæ ſunt conventionales inter certas familias conventæ aliæ ordinationis, ſeu legis earúmque Judicium, utut delegatum eſſe videatur, perpetuum tamen eſt, & Imperatore licet mortuo continuatur.

IV. Sin autem Auſtregarum Judex, cauſa adhuc pendente, moritur, cauſa in eo Statu, quo tunc eſt, ad alium eligendum devolvitur.

V. Competit hoc Auſtregarum beneficium omnibus Statibus, & immediatis Nobilibus, ſed non Civitatibus Imperialibus, niſi quæ forte ex antiquiſſimo uſu & privilegio certum judicem in prima inſtantia habeat.

VI. Competit hoc beneficium in quatuor tantum caſibus ſequentibus:

1. Si

1. Si Electores & Principes Imperii ſe invicem conveniunt. 2. Quando Electores & Principes conveniunt alios Status ordinis minoris, nimirum Prælatos, Comites, Barones & Nobiles immediatos. 3. Cum Electores & Principes conveniuntur à dictis immediatis Prælatis, Comitibus, Baronibus & Nobilibus. 4. Si Prælati, Comites, Barones, & Nobiles Imperii ſe invicem conveniunt.

VII. In primo caſu requiritur: 1. ut Actor gravamina ſua Reo communicet judiciumque Auſtregale deſideret. 2. Ut Reus intra quatuor ſeptimanas Actori proponat duos Principes Eccleſiaſticos & duos Sœculares. 3. Ut Actor intra alias quatuor ſeptimanas à die notificationis, inde unum eligat, & Reo electum denunciet. 4. Ut, poſt hanc denunciationem, intra quatuordecim dies, ambo Judicem electum implorent, quo cauſæ cognitionem ſubeat. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 2. Denique 5. ut Judex Electus cum Conſiliariis ſuis, ambobus litigantibus diem, ho-

ram & locum intra menſem præfigat, cauſamque intra ſex, aut quantum fieri poteſt citiùs expediat & decidat.

VIII. In ſecundo caſu, quando nimirum Elector, aut Princeps convenit Prælatos, Comites, Barones vel Immediatos Nobiles, duæ ſunt viæ; vel enim Elector ſeu Princeps ab Imperatore ſui ordinis Electorem, vel Principem pro Commiſſario impetret, vel Reus modo ſupra dicto, conventus tres Electores vel Principes nominet, & Actor inde unum eligat, ac porro ambo Actor & Reus eundem pro ſuſcipiendo judicio interpellent.

IX. In tertio caſu, quando Elector, aut Princeps à Prælato, Comite Barone, vel Nobili immediato convenitur, octo quidem ſunt viæ, quarum verò tres potiſſimum ſunt in uſu Prima eſt, ſi Actor à Principe Reo novem Conſiliarios poſtulet, quorum unus loco omnium juret, illos impartialiter judicaturos, quo caſu Princeps expenſas Conſiſtorii ſolvat, & Actori ejúsque Mandatariis Salvum-Conductum ad-

eundi

eundi & abeundi præſtet, & cœteræ apud *Bl. tit.* 27. de Auſtregis. Secunda via eſt, & uſitatior, quando Actor ab Imperatore Commiſſarium poſtulat. 3. Via quando Princeps Reus ad requiſitionem Prælati alteriusve immediati tres Principes non ſuſpectos denominat, ut Actor inde unum eligat, quem demque ambo ſupra dicto modo implorent.

X. In quarto caſu, ſcilicet ubi Prælati, Comites, Barones & Nobiles immediate ſe invicem conveniunt, iidem duo modi ſunt, qui in caſu ſecundo; ut nimirum Actor, vel ex tribus Principibus à Reo nominatis, unum eligat, vel ab Imperatore Commiſſarium petat, qui ſaltèm, Prælatus ille ſit, vel Comes, ſuos habeat Conſiliarios.

XI. Si quis itaque Judicem auſtregalem, ſupra dictis in caſibus ab Imperatore petierit, videndum eſt, an res juxta dictos quatuor caſus eorumque modos, ità comparata ſit, ut precibus annui poſſit?

XII. Non enim in omnibus cauſis ejusmodi Commiſſio auſtregalis locum habet, quarum plures enarrat *Blum. tit.* 27. *à num.* 165. *usque ad num.* 188. v. 3. ubi de majori Imperii feudo agitur, ut & in cauſa matrimoniali, criminali, banni Imperialis, L. diffamari, ceſſat etiam, ubi Reus actione reali in loco rei ſitæ conveniri poteſt, quando Reus privilegiatus cum correo non privilegiato concurrit, aut ambo correi diverſi fori ſunt. Quando Reus ipſe confitetur Actoris intentionem, quando Reus domicilium in alienum territorium transfert, & perſonaliter convenitur. Si Reus eſt vagabundus. Ceſſat etiam in cauſis litigioſæ poſſesſionis, pignorationis, arreſti, violati privilegii, violatæ jurisdictionis Imperii, executivis, ubi nimirum obligatio clauſulas executivas habet; in cauſis fiſcalibus; in cauſis, in quibus Mandata S. C. locum habent, item ubi agitur ad relaxationem juramenti ad agendum in Commiſſionibus ad perpetuam rei memoriam, in cauſis, quæ magis

Impe-

Imperii, quàm jurisdictionis ſunt, uti Tutores, Curatores dare & exonerare, ſi controverſia in mero Judicis Officio conſiſtat, uti cauſa alimentorum.

XIII. Si porrò in caſibus licitis Commiſſio ad Auſtregas decernenda venit, Referens dicat: Fiat Commiſſio ad Auſtregas, v. g. in D. Electorem, Principem vel Comitem, ut nomine & authoritate Cæſarea ambas Partes coram ſe vel ſub delegatis ſuis, certo die & loco citari, interque illas earumve Procuratores amicabilem compoſitionem tentari curet, eâ verò non ſubſecutâ proceſſu ſummario utrámque audiat, cauſamque juxta Auſtregales Sacri Imperii conſtitutiones decidat. Sicut in cauſa ab Oſtheim contra Dalberg. 17. Junii 1687. factum.

XIV. Notandum, quod contra Auſtregis gaudentem nunquam decernendum mandatum C. C. ſed benè juxta circumſtantias ſinè clauſ.

TITU-

TITULUS XXI.

De Commiſſione Aulica, Hoff-*Commiſſion.*

I.

SI quis petat Commiſſionem Aulicam obſervet Referens, an forum Conſilii hujus ſit fundatum, utrùm cauſa ſit talis, quam in loco rei ſitæ examinare non ſit opus, aut ſupplicans fortè, cum Commiſſiones prætioſæ eſſe ſoleant, ejusmodi ad aggravandum adverſarium petat, utroque enim caſu, ut & , quando forum non eſt fundatum, commiſſionem non decernet.

II. Si verò forum ſit fundatum & cauſa ita comparata, ut partes, utpotè in vicinia morantes, commodiùs & minoribus impenſis illam tractare poſſint, vel ex litis ipſiusmet circumſtantiis, fortè ob inſpectionem ocularem in puncto limitum, venationum &c. in ipſomet loco neceſſaria agere debeant, tunc enim ejusmodi, Com-

Commiſſionem in proximos vicinos, & tales decernet, qui partibus non ſint ſuſpecti, & in caſibus quidem cauſam diverſæ Religionis concernentibus, in numero utriusque Religionis pares *I. P. O. art.* 5. §. *in conventibus* R. H. O. *tit.* 2. §. Wann umb.

III. Deinde non aliter decernet, quàm ad Proceſſum ſolummodo inſtruendum eumque legitimè concluſum & inrotulatum, unà cum voto Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati pro ejusdem deciſione transmittendum. R. H. O. *tit.* 2. §. und weil auch 5.

IV. Annectitur autem plerumque Commiſſioni Aulicæ clauſula ad tentandam priùs amicabilem Compoſitionem hoc modô: Detur Commiſſio in N. N. ut inter partes coram ſe vel ſubdelegatis ſuis citatas amicabilem Compoſitionem ſedulò tentet, aut tentari curet, eâ verò non ſecutâ ſuper cauſæ meritis illas, hinc inde vel ipſe vel per ſubdelegatos ſummariè audiat ac por-

ro acta inrotulata, & clauſa unà cum voto ſuo ad Conſilium Imperiale Aulicum decidenda remittat.

V. Quandoque ejusmodi Commiſſio ex officio decernitur, & Partibus per reſcripta notificatur, ſicut factum in cauſa Bremen/Elterleuth contra den Magiſtrat daſelbſt 28. Febr. 1679.

VI. Aliquando etiam annectitur inhibitio, ut intereà omnia maneant, in ſtatu priſtino.

VII. Idem fit etiam ſubinde priùs quàm proceſſus Appellationis, Mandati &c. decernantur, ob cauſas prægnantes v. g. inter proximos agnatos, Magiſtratus & ſubditos, ſuſpenſis interea fatalibus.

TITULUS XXII.

De Commiſſione ad examinandos teſtes.

I.

CAmera Imperialis diverſas habet Commiſſionis hujus qualitates, ſci-

ſcilicet ordinariam, extraordinariam, in ſimplici vel optima forma ad examinandos teſtes & tranſumenda inſtrumenta &c. Sed hic loci, cum in ordine ad probandam intentionem ſupplicantis verſemur, duplex tantum eſt genus Commiſſionis, nimirùm ad examen in curſu proceſſus aut proceſſu nondum nato; illa eſt ordinaria, hæc ad perpetuam rei memoriam.

II. Utraque cùm decernenda fuerit, ſinè formæ diſtinctione decernatur, uti ſupplicantis neceſſitas requirit, ſit ea ad tranſumenda vel extorquenda atteſtata teſteſque cogendos aut ad inſpiciendos limites, aliavé loca.

III. Unde ſi ordinaria Commiſſio ad examinandos teſtes in curſu proceſſus petitur, ea concedatur eo fine quo petitur.

IV. Quoad extraordinariam verò ſeu ad perpetuam rei memoriam obſervandum eſt, eam in curſu proceſſus locum non habere, niſi cum proceſſus in longum traheretur ob periculum moribundorum aliterve impediendorum teſtium.

V.

V. Deinde ad hanc Commiſſionem requiritur, ut ſaltem Reus futurus ſit immediatus.

VI. Eſt autem differentia inter Actorem & Reum futurum; nam, ſi Actor futurus petit Commiſſionem, ad perpetuam, tunc debet in libello docere, 1. ſe necdum agere poſſe. 2. teſtes eſſe ſenes cum ſpecificatione annorum, aut valetudinarios, & ità quidem, ut mortis periculum ſubſit vel diu abfuturos, ſed Reus non indiget hiſce, cum neſciat, quando conveniendus ſit. *Bl. tit.* 73. *n.* 53.

VII. Sive igitur quis ordinariam ſive ad memoriam petat Commiſſionem, neceſſe eſt, ut libello adjungat 1. articulos probatoriales, & eos quidem relevantes, 2. Directorium. 3. teſtium deſignationem. 4. Commiſſarios nominet. 5. doceat hos Commiſſarios eſſe omni exceptione majores. 6. ſi oculari inſpectione opus ſit, dicat Commiſſariis impoſſibile eſſe, ſine illa teſtes examinare.

VIII. Si horum aliquid deſit, Referens

rens decernet. Si ſupplicans articulos relevantes exhibuerit, aut teſtes cum directorio examinandorum, aut Commiſſarios nominaverit &c. ſequetur quod Juris. *R. I. N.* §. zu welchem 49. & §. 50.

IX. Hiſce prævus decernet. Fiat Commiſſio in N.N. cum incluſione articulorum & directorio teſtium examinandorum, ita tamen, ut adverſario liceat adjungere Notarium impartialem & ſua interrogatoria exhibere *R. I. N.* §. Dahero 47. *Bl. tit.* 73. *n.* 37.

X. Si verò teſtes in ipſo Conſilio Imperiali Aulico audiendi forent, tunc cum articuli reperti fuerint relevantes, decernet I. Communicentur articuli cum directorio Parti adverſæ: 2. Deputentur duo Conſiliarii Imperiales Aulici NN. tanquam Commiſſarii cum Secretario cauſæ, ut audiant teſtes.

XI. Qui Proinde Parti utrique, ut et teſtibus diem & horam matutinam aſſigna-

ſignabunt, & teſtes, in utriusque Partis præſentia perjurii ſerio commonebunt, & jurare facient.

XII. Si verò Conſiliarius Imperialis Aulicus in teſtem vocatus fuerit, jurare non tenetur, ſed ſub juramento Imperatori præſtito, in ſcripto, atteſtetur. *Gail.* 1. *O.* 100. *n.* 21. 22. *&* *O.* 101, *n.* 15.

XIII. Cæterùm Commiſſarii, Partibus principalibus dimiſſis, à Parte adverſaria interrogatoria recipiant, eaque priùs legant, & ſi ſint criminoſa & reſpondentis turpitudinem contineant, ea rejiciant, aut ſaltem deſuper non examinent. *R. I. N.* §. Es ſollen aber 53.

XIV. Porrò teſtes ſeorſum & ſeparatim vocabunt, & primùm interrogatoria generalia, deinde articulos, unum poſt alterum ſeparatim teſti aſſignato, clarè, modeſtè, & ſinè ullo affectûs ſigno, proponent & interrogabunt, & quidquid reſponderit, etiamſi cacophonicum, falſum, & contradictorium ſit, Secretarius accuratè nota-

notabit, & poſtquàm notaverit, teſti articulum, & ejus Reſponſionem adhuc ſemel, ſinè monſtratione alicujus affectûs, ſed frigidè præleget, an conſtet? Deinde proponet ei interrogatoria Partis adverſæ ſuper eodem articulo formata, & poſtquam reſponderit Secretarius, illi adhuc ſemel præleget interrogatorium, & reſponſionem an conſtet? & ità deinceps cum reliquis teſtibus, articulis, interrogatoriis & reſponſionibus pergendum erit, & cum examen teſtis alicujus abſolutum fuerit, ipſi ſilentium imponatur.

XV. Si finitô examine, Pars impetrans teſtium publicationem petierit. Referens eam non ſtatim concedet, ſed quia in utriuſque Partis poteſtate eſt, ut ulteriores articulos, vel additionales, vel adverſarius reprobatorios exhibeat, ideò priùs decernet; Communicetur Adverſario, ut intra octiduum ſe deſuper declaret.

XVI. Deinde ad ulteriores Impetrantis preces & Adverſario nihil op-

po-

ponente, dicet: Fiat publicatio edictorum cum præſcitu Adverſarii.

XVII. Hoc prævio & octiduo poſt hujus concluſi inſinuationem præterlapſo, Secretarius illa eô ordine correctiſſimè deſcribi faciet, quô teſtes auditi ſunt: id eſt 1. interrogatoria generalia 2. teſtis reſponſionem 3. Articulum. 4. teſtis reſponſionem. 5. interrogatoria ad eum articulum pertinentia, & 6. teſtis ad ea reſponſiones, & ſic per totum; & hæc deſcriptio, ſeu rotulus Partibus communicabitur à Secretario erga ſolutionem jurium. *R. I. N.* §. Im übrigen 52. Sed non publicatur hoc examen ad perpetuam memoriam, niſi lis nota fuerit.

TITULUS XXIII.

De Citatione in Genere.

I.

CItationis Proceſſus eſt ſimplicis querelæ, & uti nemo condemnari poteſt, niſi priùs tribus vicibus & perem-

peremptoriè citatus fuerit, ita citatio ſemper in omni cauſa præcedere, & ſupplicans pro citatione in libello exprimere debet, an narrata loco libelli habere velit.

II. Citatio alia perſonalis, quæ ad domum rei fit: alia edictalis, quæ affigitur ad valvas in tribus locis citando vicinis, quæ ſupplicans in libello ſuo indicare, aut in Cancellaria ſe indicaturum dicere debet.

III. In citatione ipſa, primò enarretur brevibus cauſa citationis, & adjungatur libellus, cum ſuis adjunctis. 2. Annectatur terminus 20. dierum pro primo, 20. dierum pro ſecundo, & 20. dierum pro tertio ultimo & peremptorio termino.

IV. Si citationi narrata libelli de verbo ad verbum inſeruntur addendum eſt, quod Actor narrata citationis in termino comparitionis loco libelli ſit repetiturus, aliàs citatio eſt nulla. *R. I. N.* §. Dieſem nechſt. 34. *Bl. Proc. Cam. tit.* 65. *n.* 22.

V. Citatione verò non eſt opus, quando Reo nulla competit defenſio, cujusmodi caſus à Mynſingero viginti tres recenſentur. *lib.* 2. *Obſ.* 91.

VI. Citatio vel proceſſus fortè ſinè termino decreti, ſi intra annum non inſinuantur, expirant & eorum renovatio peti & concedi poteſt. *Bl. tit.* 65. *n.* 48.

VII. Citationis effectus eſt, quod, ſi à Judice competente facta fuerit, inducat litis pendentiam, jurisdictionem, & actionem perpetuet, præſcriptionem interrumpat, rem litigioſam faciat &c.

VIII. Notandum, citationem citra cauſas appellationis hic non habere locum, niſi contra Immediatos & Auſtregis non gaudentes.

TITULUS XXIV.

De Citatione ex l. Diffamari C. de Ingen. & Manum.

I. Hic

I.

HIc non agitur de L. diffamari juxta Jus commune, ſed juxta conſtitutiones Imperii, ubi cognitio cauſæ, ex ſui natura ſpectat ad Conſilium Imperiale Aulicum aut Cameram Imperialem.

II. Itaque 1. Videndum, an diffamatus immediatè Imperio vel Conſilio Imperiali Aulico ſubſit? *Blum. pr. C. tit.* 36. *n.* 9. *& ſeqq.*

2. An diffamatio talis ſit, ut inde pax publica lædatur, aut ſcandalum oriatur. *Idem ibid. n.* 14.

3. An diffamatio veriſimiliter probetur. *Idem ibid. n.* 16. *R. I. N.* §. Cammer-Richter 83.

4. An diffamans in ſpecie nominetur. *Bl. ibid. n.* 17.

III. Cum ex his requiſitis aliquid defuerit, Referens denegabit citationem.

IV. Ubi verò hæc requiſita adſunt, Referens decernet citationem.

V. Si porrò diffamatio plenè ſit probata, Referens cauſam principalem

ad Judicem remittet ad quem pertinuerit. *R. I. N.* §. 83.

VI. Sciendum quod remedium hoc legis diffamari etiam in aliis cauſis competat contra Immediatum, non quidem ex dicta conſtitutione Imperiali, ſed ex Jure Communi *Gail.* 1. *O.* 10.

VII. Si verò diffamans, contra quem citatio decernenda venit, in Aula Cæſarea ſit, non eſt opus ſpeciali citatione, ſed ſufficit, ſi ipſi libellus inſinuatur, cum inſcripto decreto, ut intra quatuordecim dies actionem ſuam inſtituat ſub pœna perpetui ſilentii.

TITULUS XXV.

De Exceptione ex L. ſi Contendat 28. ff. de Fidejuſſor. & Mandatoribus.

I.

SI fortè confidejuſſor, prævideat ſuum confidejuſſorem paulatim de-

depauperari; ideoque non ſolvendo futurum, timeatque ne creditor diutius expectet, ac poſtea ipſum ſolum aggrediatur, tunc tali confidejuſſori competit ex dicta lege remedium juris, cujus vigore petit citationem contra creditorem, ut actionem ſuam edat, ipſeque prætenſus debitor excipere, & rationes ſuas producere poſſit, cur vel non debeat vel tantum pro ſua quota debeat.

II. Hoc beneficium competit utiliter etiam cuicunque alii Debitori, quando nimirùm contendit ſe non debere, & tamen timet, ne alio importuno tempore & loco conveniatur, vel quando in judicio incompetenti convenitur, & timet, ne vel ipſe vel Hæredes tempore, loco, aut perſonis mutatis, importunè conveniantur.

III. Ubi duo caſus occurrunt, unus, quando debitor timet, nè creditor differat actionem in tempus importunum, alter quando creditor jam tum actionem, ſed coram judice incompe-

tente inſtituit, in illo caſu petitur & decernitur citatio contra creditorem, ut actionem ſuam edat in hoc autem caſu exhibet libellum Creditoris coram Judice incompetente porrectum, deſuperque ſuas exceptiones, & petit, ut creditori injungatur quò actionem ſuam in Judicio debitoris proſequatur & ad exceptiones ſuas replicat.

IV. Requiſita hujus remedii ſunt planè eadem quæ in remedio L. diffamari idemque modus, niſi quod in L. ſi contendat diffamatio non requiratur, quodque hac in actione Reus petere debeat abſolutionem ab actione, & ſimul etiam, ut Actori perpetuum ſilentium imponatur; *vide Bl. P. C. tit.* 36. *n.* 26. 27. & 28. *Carpz. Juris p. for. Part.* 1. *conſt.* 7. *Defin.* 29. & 30. *Fleckij Bibliotheca juris lib.* 3. *tit.* 47. *n.* 23. & 24. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 19.

V. Si verò Actor in Conſilio ſit præſens, non eſt opus citatione, ſed exceptiones tantùm communicentur Actori ad replicandum ſub termino quatuordecim dierum, uti in cauſa

𝔚. contra 𝔅. die 22. Junii 1708. & 1. Martii 1709.

TITULUS XXVI.

De Citatione videndum ſe admitti ad beneficium Authenticæ.

Hoc niſi Cod. de ſolut. & receſſus Imperii anno 1654. §. ſo viel nun 172. *verſic.* oder auf den Fall.

I.

SI debitor creditores ſub diverſis jurisdictionibus morantes citandos petit, ut ipſis bona ſua, mobilia & immobilia loco debiti cedat, juſto pretio æſtimanda, tunc videndum eſt, an debitor ad dictam authenticam ſe legitimet, & probet ſe non habere pecuniam paratam, neque fuiſſe negligentem œconomum: tunc enim Referens dicet: fiat petita citatio *Bl. T.* 34. *n.* 218.

II. Hac citatione inſinuatâ, creditores comparere & ſupplicantis petito

obſecundare vel rationes opponere debent, proceſſu ordinario, ut in ſimplici querela.

TITULUS XXVII.

De Citatione ad reaſſumendum.

I.

SEquentibus caſibus citatio ad reaſſumendum locum habet: 1. Si Principalis mortui ſucceſſor ſit ſingularis, v.g. mortuo Tutore, vel curatore ſuccedens Tutor vel curator citandus erit.

2. Si quædam inſtantia periit, v.g. ſi Pacifragus, contra quem fiſcus ad bannum egerit, pendente inſtantia moritur, tunc Fiſcus contra ejus hæredes citationem ad reaſſumendum pro pœna pecuniaria petet.

3. Si Principalis moritur priùs, quàm Procurator procuratorium exhibuerit, Hæres vel ſucceſſor ad reaſſumendum citandus eſt.

4. Si Procurator ejusvé ſubſtitu-

tus, aut ambo moriantur aut abdicent prius, quàm alius conſtituatur, injungatur Parti, ut novum Procuratorem conſtituat.

5. Si Principalis & Procurator obeunt, Procurator adverſarius citationem ad reaſſumendum contra mortui Principalis hæredes petat.

vid. Bl. Pr. cam. t. 67. *n.* 70. *& ſeqq.*

TITULUS XXVIII.

De Citatione ad aſſiſtendum liti.

I.

SI Emptor rei immediatæ conveniatur, tunc venditorem ejusve hæredes, qui, ratione rei venditæ, de evictione tenentur, citari faciat ad aſſiſtendum liti, utpote qui loco emptoris actionem intentatam in ſe ſuſcipere tenentur. *Bl. P. C. tit.* 40. *n.* 19. 20.

TITULUS XXIX.

De Citatione ſuper fracta Pace Religioſa de anno 1555. & transactione Paſſavienſi.

I.

VIdendum an ſupplicans qualiscunque contra qualemcunque diverſæ Religionis in Imperio admiſſæ, ex ſolo Religionis intuitu, in perſona vel rebus, ſuper aliquo capitum Pacis Religioſæ à *Blum. tit.* 28. *à n.* 12. *usq.* 63. recenſitorum turbatum ſe eſſe probaverit?

II. An ad pœnam banni vel pecuniariam 100. vel 200. marcarum auri, vel pœnam Juris Communis, de vi publica, vel ad reſtitutionem ablatorum & ſimilium agat? vid. *Bl. tit.* 28. *n.* 74. *& tit.* 29. *n.*76. 77.

III. Si ad ſolam ejusmodi pœnam? tunc citatio decernenda venit.

IV.

IV. Si verò ad reſtituendum, caſſandum, inhibendum &c. agat? videndum, an mandatum petierit? nam ſi in uno ex quatuor caſibus fundatum ſit, mandatum ſine clauſula (Cœterùm cum clauſula) peti & decerni poteſt, & quidem unà cum citatione ad videndum ſe declarari in pœnam. *Vid. Bl. proc. cameralem tit.* 28. *n.* 74. 75. 78. 79.

V. Videndum, an ſupplicans, Religionis intuitu, turbatus, ex capite pignorationis, arreſti, vel Pacis Provincialis conqueſtus ſit? nam, ex hisce remediis, Reus jurando ſe purgare poterit, ut dicetur tit. 31. de Citatione ad ſe purgandum juramentô.

TITULUS XXX.

De Citatione ſuper fracta pace profana ſeu publica.

I.

CUm ſtatus Imperii jura ſua non armis, ſed jure proſequi debeat, ſub pœna fractæ pacis, juxta Inſtru-

mentum pacis Monaſt. §. 115. 116. & *R. I. N.* §. 193. eique liberum ſit, an per citationem ad videndum ſe declarari in pœnam fractæ pacis auf den Land-Frieden-Bruch/ id eſt, vel ad bannum Imperii, vel ad duo millia marcarum auri, vel ad centum vel ducentas marcas auri, vel in pœnam juris Communis *ex L. ſi quis in tantam Cod. unde vi.* agere, & quidem vel per citationem ex dicta conſtitutione vel per mandatum Sac. Cæſ. de reſtituendo oblata & reſarciendo damna agere velit.

II. Sed neceſſe eſt, ut ſupplicans ex ſequentibus caſibus ſaltem unum aliquo modo probaverit: 1. quòd quis Pacifragum tecto menſavé receperit vel 2. opem Conſiliumvé præſtiterit. *Bl. tit.* 29. *n.* 39. 3. non perſecutus ſit dolo malo, & ſcienter, aut 4. quod vis illata ſit publica *Bl. tit.* 29. *n.* 39. 40. 5. quod illata ſit manu armatâ coadunatis hominibus *Bl. tit.* 29. *n.* 43. 6. ac deſtinatô animô frangendi *Bl.* 29. *n.* 4. 7. 48. 7. An libellum adjunxerit? & ob-

obtulerit ſe narrata ſupplicationis, ſeu citationis loco libelli repetiturum eſſe. Nam ſi quid eorum deſit, denegatur citatio, vel decernitur: uti petitum, ità denegatum, wie gebetten/alſo abgeſchlagen. Vel ſi ſupplicans conformiùs ſuper fracta pace ſupplicaverit? Wann der Supplicant auf den Land-Frieden-Bruch förmlicher anruffen wird. Vel ſi hoc vel illud requiſitum adduxerit, aut probaverit, ſequetur quod Juris.

III. Si ex his aliquid aliquo modo probaverit petita citatio vel mandatum decernetur, & ſi ad certam pœnam non egerit, judicis arbitrio relinquitur quam pœnam dictare voluerit, ſalvo ſemper fiſci Imperialis jure.

IV. Si verò pacifragium ſit notorium, proceſſu quidem non eſt opus, ſed tamen priùsquàm declaratio banni & Rebanni, der Acht und Aber acht fiat, cum Electoribus, communicandum, eorumque conſenſus expectandus erit. *Cap. Joſ. art.* 27. *&* 28.

V. Bannum & Rebannum ſtylo Saxonico, ità nominatum, Bannum enim dicitur, poſt primam declarationem Rebannum poſt ſecundam quod Imperiali declaratione conjunctum eſt, & ideo Bannum & Rebannum dicitur.

TITULUS XXXI.

De Citatione ad ſe purgandum juramentô in puncto fractæ pacis.

I.

CAſu quô de eo, qui de fracta pace ſuſpectus eſſet, non plene conſtaret, non exiguis tamen Indiciis gravaretur, ideoque ad ſe juramentô purgandum citandus foret. Tunc Referens videat, an violatus narraverit, 1. ſe læſum eſſe contra conſtitutionem pacis publicæ. 2. De Violatore certo non conſtare, ſed Reum ex legitimis indiciis ſuſpectum, vel de eo publicam famam eſſe. 3. An adductæ

ctæ rationes ſuſpicionis ſufficientes ſint, quæ requiſita ſi adfuerint, petita citatio decernatur, aliàs denegetur. *Bl. tit.* 29. *n.* 217. *usque* 222.

TITULUS XXXII.

De Citatione ſuper pignorationibus.

I.

PRoceſſus ſuper Pignorationibus duplex quidem eſt, ſed conjungitur nimirùm Mandati, & citationis mandati quidem, ut pignorans ſtatim pignora ablata reſtituat, & captivos relaxet. Citationis verò, ut idem pignorans priùs facta reſtitutione, ac relaxatione jus pignorandi, atque ſic cauſam principalem ex interdicto, uti poſſidetis in Conſilio, vel Camera Imperiali deducat. *Bl. tit.* 32. *n.* 58. *t.* 33. *n.* 29.

II. Unde ſi ſupplicans pignoratus, ex hac Conſtitutione ſupplicet pro ejusmodi

modi mandato & citatione; Sciendum eſt, ita cauſam comparatam eſſe debere, ut ſupplicanti actio ex hac conſtitutione competat. *Bl. t.* 32. *à n.* 46. *ad n.* 57.

III. Quinque enim requiſita ſunt, quæ ſupplicans aliquo modô probet, nimirùm 1. quod tàm pignorans, quàm pignoratus immediatus ſit Imperii. *Bl. tit.* 32. *n.* 4.

2. Quod pignoratus ſit in poſſeſſione ejus loci vel juris, in quo, & cujus reſpectu, pignoratio facta eſt. *Bl. tit.* 32. *n.* 13.

3. Quod pignorator in illo loco, ubi pignoratio facta, per hanc pignorationem novum Jus, quod hic in ſpecie nominandum venit, acquirere, & uſurpare velit. *Bl. tit.* 32. *n.* 18.

4. Quod perſona, vel res capta ſeu pignorata non ſit litigioſa, ſed tertia & innocens. *Bl. tit.* 32. *n.* 20. *& ſeqq.*

5. Quod pignoratio ſit facta ex cauſa Civili, non Criminali.

IV. Deinde videndum, an libellum appoſuerit Citationi annectendum, ſeque

ſeque ad ejus narrata in reproductione relaturum obtulerit.

V. Si namque unum ex his circumſtantiis deſit, Referens citationem negabit, vel dicet: Si hoc vel illud melius docuerit, ſequetur reſolutio.

VI. Si verò dicta requiſita adſunt, mandatum de pignoratis, ſine exceptione, ohne Entgeld / cum omni intereſſe & damno reſtituendis, S. C. cum citatione ſolita, ut & citatio ad deducendum jus pignorandi, ſeu ad proponendum cauſas pignorationis, ob quod punctus cauſalium vocatur, qui proceſſus ſummarius eſt. *Bl. tit.* 32. *n.* 65. & 92.

VII. Notandum, quod in proceſſu pignorationis Reus, cum exceptionibus ſimul etiam cauſales in principali exhibere & in utroque puncto pari paſſu procedi debeat. *R. I. N.* §. Auff daß auch. 139.

VIII. Sed ſi in puncto paritionis cauſa ſatis ſit inſtructâ, non expectata ſubmiſſione in puncto cauſalium ſententia publicetur. *R. I. N.* §. Auff daß auch. 139. IX. Pun-

IX. Puncto paritionis per ſententiam finito, Impetrans in puncto cauſalium ante realem paritionem, ulterius procedere non tenetur. *R. I. N.* §. Auff daß auch. 139.

TITULUS XXXIII.

De Citatione ob continentiam cauſæ.

I.

SI quis Citationem, aut alium proceſſum petat, contra aliquem ob hæreditatem, aut Jus quoddam Univerſale, ratione rerum & bonorum ſub diverſis Jurisdictionibus in Imperio ſitorum, tunc videndum eſt. 1. An bona omnia ſub diverſis Jurisdictionibus, id eſt, ditionibus, tametſi ad unum Principem pertinentibus in Imperio ſita ſint? nam aliàs cauſa, ratione iſtius rei ſub externo Principe ventilanda veniet. *Bl. tit.* 40. *n.* 3. & 5.

2. Si Perſonæ conventæ ſint ſub diverſis Principatibus, v. gr. ratione con-

concurſus, ſeu cumulationis actionum, ratione rei, obligationis, aut actionis individuæ, ratione appertinentiarum, ratione principalis, & acceſſorii, ratione conſequentiæ interventionis reconventionis, vel ratione litis cœptæ, nam licet actor, vel Reus, poſteà forum mutaverit, imò & Clericus factus ſit, cauſa tamen, ubi cœpta, ibi finietur. *Bl. tit.* 40. *n.* 8. *& ſeqq.*

TITULUS XXXIV.

De Citatione ob litigioſam poſſeſſionem.

I.

SI quis, hanc ob cauſam, citationem petierit, videndum, an competat interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis. §. 3. *Inſt. lib.* 4. *de interd. L.* 2. §. 3. *ff. h. t.* ut nimirùm agere poſſit, ad acquirendam poſſeſſionem, quam nunquam habuit, contra impedientem, quo minùs adipiſci poſſit. Vel retinendæ poſſeſſionis, quâ quis agit contra

tra turbatorem ſuæ poſſeſſionis non vi, non clam nec precario obtentæ. §. 4. *Inſt. de Interdictis. Blum. tit.* 3. *n.* 25.

II. An ſupplicans docuerit, 1. quod uterque litigans immediatè Imperio ſit ſubjectus, aut duorum pluriúmve immediatorum ſubditi de poſſeſſione litigent. *Blum. tit.* 31. *n.* 4.

2. Quod neuter poſſeſſionem habeat, ſed uterque ex juſtis cauſis ſe magìs poſſidere contendat, ità ut poſſeſſio ſit dubia. *ibid. n.* 5.

3. Quod periculum ſit armorum, ex rixis quotidianis. *ibid. n.* 7. *& ſeqq.*

4. Quodque hoc periculum aliquô modô probatum ſit. *ibid. n.* 22. *& ſeqq.*

III. Hiſce præviis decernenda citatio.

TITU-

TITULUS XXXV.

De Citatione ad videndum confirmari contractus tranſactiones, item inſtrumenta deſcribi exemplari, vel publicari.

I.

SCiendum eſt, cum citandus immediatus fuerit, quod tunc is cujus intereſt, petere poſſit citationem contra illum, ut compareat & videat, contractum, quem cum ipſo iniit, confirmari, vel inſtrumenta deſcribi exemplari, & publicari, eo ſcilicet fine, ut, ſi forte citatus habeat, quod contradicat, illud proponat. *Vid. Bl. P. C. tit.* 42. *n.* 18. *& ſeqq.*

TITU-

TITULUS XXXVI.

De Citatione ad videndum ſe relaxari à præſtito juramento ad effectum agendi.

I.

SI quis petat ejusmodi citationem, videndum eſt, 1. an, Reus, qui juramentum exigit, ſit immediatus? 2. an cauſa merè ſit Civilis, ob quam incarceratus fuit? 3. An juraverit, quod neque carcerem vindicare, neque contra formam juramenti, oder Urpfede/ experiri velit. 4. An juramentum in originali aut copia authentica, aut, ſi ſe habere non poſſe, conteſtetur, ſaltem in copia ſimplici, cui creditur, exhibuerit. *Bl. tit.* 35. *n.* 4.

5. An incarceratus non ante, ſed poſt liberationem à carcere ſupplicaverit? nam ſi ante petierit, perjurus erit. *Blum. ibid. n.* 5.

II. Hisce

II. Hisce requiſitis obſervatis, reſcribatur, Magiſtratui, pro informatione, quæ actori communicetur, cumque hic illam debitè refutaverit, citatio decernatur. *ibid. n.* 7. 8. 9. 10.

III. Si verò ex hiscè requiſitis unum deſit, aut informatio ſit relevans, citatio denegetur.

IV. Videndum inſuper, an fortè non ſit opus ex officio ejusmodi citatione, aut relaxatione à Juramento, ſi nimirum gravatus fortè, miſer & pauper fuerit, aut admodum gravatus, aut aliàs cauſæ circumſtantiæ id ita poſtulaverint, juxta Judicis arbitrium. *Blum. tit.* 35. *n.* 15. 16. *&* 17.

TITULUS XXXVII.

De Citatione ad videndum ſe declarari in pœnam Privilegio Cæſareo inſertam.

I.

SI quis contra Privilegium læſus ejusmodi citationem petat, videndum,

dum, 1. An Privilegium debitè fuerit inſinuatum. 2. An ſupplicans illud producat, unà cum libello in originali, vel à Regiſtratore vidimatum? 3. An doceat violationem contra Privilegii notitiam ex propoſito & dolo fuiſſe factam? *Bl. tit.* 39. *n.* 4. 7. *&* 10.

II. Hisce namquè probatis citatio decernatur ad videndum declarari, ſe incidiſſe in pœnam privilegio inſertam, ex ſemiſſe fiſco, & ex altero ſemiſſe Parti applicandam.

TITULUS XXXVIII.

De Citatione ex cauſis Fiſcalibus.

I.

FIſcalis pœnas perſequitur. Ne verò, maximè in rebus arduis, fortè offendat, Duo Conſiliarii per Præſidem, cum Præſcitu Imperatoris, deputentur, quorum Conſilio utatur, priusquàm actionem aliquam inſtituat, ſcriptumvé exhibeat, ea tamen lege,

lege, ut Conſiliarii iſti porrò à voto abſtineant. R. H. O. *tit.* 6. §. damit auch 5.

II. Agat Adverſus eum, qui contra auream bullam commiſit. *Bl. tit.* 30. *n.* 8.

III. Contra eum qui adverſus conſtitutionem Pacis publicæ commiſit, ad pœnam banni, vel tam ad dimidium 2000. marcarum auri quàm ad alterius pœnæ pecuniariæ dimidium, in locum banni fortaſſis ſurrogatæ (alterô ſemiſſe Parti læſæ debito) *ibid. n.* 9.

IV. Contra eum, qui mandatis Cæſareis non paruit, *ibid. n.* 10.

V. Contra eum in pœnam banni qui Collectas Imperii in termino non ſolvit. *ibid. n.* 25. *& ſeqq.*

VI. Adverſus eum, qui peccat contra ordinationem Politicam de annis 1530. 1548. 1577. *ibid. n.* 33.

VII. Contra eum, qui auxilio, Conſilio aut deliberationibus Turcarum, aliorumvè contra Chriſtianos & Romanum Imperium interſuit, ad bannum Imperii & bonorum

confiſcationem, vel Imperatori, ſi immediatus eſt, vel ſi mediatus eſt, Principi Suo competentem.

VIII. Contra eum qui alterius ſubditos ob Anabaptiſmum extorres, contra conſtitutionem de Anabaptiſtis 1529. conditam, & anno 1551. renovatam receperit. vide Receſſ. Imp. 1544. §. nachdem auch 75. R. 1557. §. hierauf haben 89. ad pœnam banni. *Bl. t.* 30. *n.* 35.

IX. Adverſus eum, qui per vagos milites infeſtato auxilium non tulit ab infeſtato imploratus, ad pœnam 40. marcarum auri, *ibid. n.* 36.

X. Adverſus eum qui contra conſtitutiones arcani Judicii Weſtphalici dolo malô commiſit, ad pœnam fractæ pacis. *ibid. n.* 37. *& ſeqq.*

XI. Adversùs eum, qui Imperii ſubditum ad Judicium exterum, ut & in Civilibus ad Nuncios Apoſtolicos, aut Papam pertrahit, ad pœnam violatæ Jurisdictionis Imperii. *ibid. n.* 43. *cap. Joſ. art.* 18. *R. I. N.* §.

als

als ſich dann 164. *R. I.* 1512. §. wo aber hiewider.

XII. Adversùs emanentes Viſitatores, & Reviſores, ad exactionem pœnæ mille aureorum, ac ſumptuum, ob ipſorum abſentiam factorum. *Bl. ibid. n.* 44. Sed hoc in Camera Imperiali tantum cum in Conſilio Imperiali Aulico viſitatio & reviſio alio modo fiat.

XIII. Adversùs ſtatum, qui ſe ipſum aut alium Imperii collectis eximere cogitat. *ibid. n.* 45. *& ſeqq.*

XIV. Adversùs eum, qui contra edictum monetale de anno 1559. deliquit ad privationem privilegii & inſuper in 40. libras auri. *ibid. n.* 57.

XV. Adversùs eum, qui Conſilio Imperiali Aulico vel Cameræ, in vel extra Judicium, ejusque juſſionibus debitam obedientiam, & reſpectum non detulerit ad pœnam arbitrariam. *ibid. n.* 58.

XVI. Adversùs eum, qui in cauſis coram Camera pendentibus, in Conſilio Imperiali Aulico, vel vice-verſa,

confiſcationem, vel Imperatori, ſi immediatus eſt, vel ſi mediatus eſt, Principi Suo competentem.

VIII. Contra eum qui alterius ſubditos ob Anabaptiſmum extorres, contra conſtitutionem de Anabaptiſtis 1529. conditam, & anno 1551. renovatam receperit. vide Receſſ. Imp. 1544. §. nachdem auch 75. R. 1557. §. hierauf haben 89. ad pœnam banni. *Bl. t.* 30. *n.* 35.

IX. Adverſus eum, qui per vagos milites infeſtato auxilium non tulit ab infeſtato imploratus, ad pœnam 40. marcarum auri, *ibid. n.* 36.

X. Adverſus eum qui contra conſtitutiones arcani Judicii Weſtphalici dolo malô commiſit, ad pœnam fractæ pacis. *ibid. n.* 37. *& ſeqq.*

XI. Adversùs eum, qui Imperii ſubditum ad Judicium exterum, ut & in Civilibus ad Nuncios Apoſtolicos, aut Papam pertrahit, ad pœnam violatæ Jurisdictionis Imperii. *ibid. n.* 43. *cap. Joſ. art.* 18. *R. I. N.* §.

als

als ſich dann 164. *R. I.* 1512. §. wo aber hiewider.

XII. Adversùs emanentes Viſitatores, & Reviſores, ad exactionem pœnæ mille aureorum, ac ſumptuum, ob ipſorum abſentiam factorum. *Bl. ibid. n.* 44. Sed hoc in Camera Imperiali tantum cum in Conſilio Imperiali Aulico viſitatio & reviſio alio modo fiat.

XIII. Adversùs ſtatum, qui ſe ipſum aut alium Imperii collectis eximere cogitat. *ibid. n.* 45. *& ſeqq.*

XIV. Adversùs eum, qui contra edictum monetale de anno 1559. deliquit ad privationem privilegii & inſuper in 40. libras auri. *ibid. n.* 57.

XV. Adversùs eum, qui Conſilio Imperiali Aulico vel Cameræ, in vel extra Judicium, ejusque juſſionibus debitam obedientiam, & reſpectum non detulerit ad pœnam arbitrariam. *ibid. n.* 58.

XVI. Adversùs eum, qui in cauſis coram Camera pendentibus, in Conſilio Imperiali Aulico, vel vice-verſa,

alios proceſſus petierit, ad 10. marcas auri, niſi cauſa ad cameram forte non ſpectans ibidem accepta ſit, tunc enim alibi proceſſus petere poteſt. *Blum. ibid. n.* 59.

XVII. Adversùs judicem Inferiorem, qui acta edere dolosè vel malitiosè detrectat ad pœnam 20. marcarum auri. *Bl. tit.* 30. *n.* 60.

XVIII. Adversùs Judicem Inferiorem, qui rationes decidendi edere renuit ad duas marcas auri pro ſolo fiſco. *ibid. n.* 61.

XIX. Adversùs eum qui propter temeritatem litigandi, vel oppoſitionem frivolarum exceptionum, ad pœnam fiſco Cæſareo ſolvendam condemnatus fuerit. *ibid. n.* 62.

XX. Adversùs eum, qui propter frivolam appellationem in pœnam (duarum pro arbitrio usque 10. marcarum auri) condemnatus fuerit. *ibid. n.* 63.

XXI. Contra advocatum cauſæ qui juramentum Appellationis præſtare recuſat, ad unam marcam auri. *ibid.* n. 64.

XXII.

XXII. Contra Judices inferiores, qui ex imperitia, ſeu malitia malè judicâſſe, juſtitiámve denegâſſe, vel protraxiſſe comperti fuerint. *ib. n.* 65.

XXIII. Contra eos, qui Conſiliarios Imperiales Aulicos, aut Aſſeſſores Cameræ, ratione ipſorum Status, ſeu conditionis injuriârunt. *ibid. n.* 66.

XXIV. Contra eos, qui Cancellariæ taxas, & jura non ſolvunt. *ibid. num.* 67.

XXV. Contra circulum, qui pro ſua quota, in mora eſt, ſolvendi ſumptus, in executionem ab alio circulo factos. *ibid. n.* 68.

XXVI. Contra Vaſallum, qui feudo ob feloniam, vel aliam cauſam cecidit.

XXVII. Adversùs eum, qui Nobilem, Baronem, Comitemve Imperii ſe mentitur, aut aliis privilegiis Imperialibus falsò gloriatur, aut inſignia, galeas apertas, vel clauſas, aut coronas uſurpat. Aut ſi fortè obtinuerit, ſed diploma deſuper intra trimeſtre ex officio taxæ non eluerit. *Cap. Joſ. art.* 45.

XXVIII. Adverſus eos, qui ſub prætextu acciſarum, umb Geld-Niederlag/Stand- und Marckgeld/Porten-Brucken- und Pflaſter-Geld/ in effectu nova telonia ab exteris exigunt. *Cap. Joſ. art.* 22.

XXIX. Adverſus Status, qui ſunt moroſi in ſolvendis collectis, ſeu contributionibus. *R. J. N.* §. So offt auch. 86.

XXX. Contra Vaſallum, qui diffidat dominum ſuum, ad pœnam banni. *Aur. Bull. tit.* 14.

XXXI. Contra Immediatos, qui per violentiam jus ſuum proſequuntur. *Capt. Leop. & Joſ. art.* 15.

XXXII. Contra eos, qui Nuncios Cameræ vel Notarios, dum proceſſus inſinuant, aut officio ſuo funguntur, injurioſè tractant. *R. J. N.* §. Damit aber. 165.

XXXIII. Contra eos, qui ſe executioni ſententiæ opponunt, utpote, qui ipſo facto in bannum incidunt. *R. J. N.* §. wegen des *modi.* 15. & §. Ob ſie aber. 161.

XXXIV.

XXXIV. Adverſus Statum Imperii, qui contra pacem publicam cum exteris fœdera pangit. *Cap. Joſ. art.* 10. *J. P. O. art. ut autem proviſum.* 8. *J. P. M.* §. 63.

XXXV. In cauſis exemptionum ex officio procedat. *R. J. N.* §. Berühr⸗tem unſern. 93.

XXXVI. Fiſcalem nullus convitiis laceſſat, ne cum, per Fiſcalem Imperatori ipſi convicietur, gravem in pœnam incidat.

XXXVII. Fiſco executionem imploranti cujuslibet Rei Magiſtratus, ſine contradictione juſtitiam executivam adminiſtret, aliàs arbitrariè mulctetur. *R. J. N.* §. wegen des *modi.* 15.

XXXVIII. In executione pœnarum enim proceditur, ſicut contra moroſos Status in contribuendo. *R. J. N.* §. wegen des *modi.* 15. & §. So offt auch. 86. Unde ſi pœna in termino non ſolvitur, executio ad fiſci preces decernatur, ad debitoris Magiſtratum,

 vel

vel Principes Circuli, cum commina-tione dupli.

XXXIX. Fiſcus contra contumaces agens ſuper eorum propriis bonis reditibus, & penſionibus arreſta, ac pignorationes, ſeu ſequeſtra petat, & obtineat. *R. J. N. ibidem.*

TITULUS XXXIX.

De Conſtitutione arreſtorum.

I.

AD hanc requiritur, 1. ut ambo tam arreſtans, quàm arreſtatus immediatè Imperio ſubſint, 2. ut arreſtanti offeratur cautio de judicio ſiſti, & judicatum ſolvi ſufficiens, ille verò, eâ non attentâ, tamen de facto procedat. 3. Ut arreſtum ſit impoſitum, ob cauſam civilem, non verò criminalem. *Blum. tit.* 33.

II. Hæc requiſita ſi aliquomodo probata fuerint, ſupplicanti decernetur mandatum de relaxando arreſto C. S.

cum

cum citatione annexa, ad docendum ſe incidiſſe in pœnam mandato inſertam. *ibidem n.* 28.

TITULUS XL.

De Denegatione aut protractione Juſtitiæ.

I.

SI Judex protrahit juſtitiam, tunc ſupplicanti conceduntur promotoriales, ut eam intra certum tempus unius menſis promoveat, *Gail.* 1. *Obſ.* 28. *n.* 7. Cui ſi non paruerit, mandata C. C. & arctiora decernantur.

II. Si ſupplicans docuerit ſibi denegatam juſtitiam: v. g. ſi pars rea, quæ Auſtregis gaudet, ad Actoris petitionem, intra menſem nominare renuat, vel Judex Ordinarius, vel auſtregalis Actorem ab ingreſſu litis repellat, tunc cauſa eo ipſo devolvitur ad Conſilium Imperiale Aulicum, quod decernet citationem contra Reum, ad aſſumendum litem in Judicio Imperiali

riali Aulico, ſeu Camera Imperiali. *Ord. Camer. Part. 2. tit. 26. §. fin.*

TITULUS XLI.

De Cauſis reſcripti, & ſimplicis querelæ.

I.

CAuſæ ſimplicis querelæ illæ ſunt, quæ per primam inſtantiam, coram hoc Conſilio, vel Camera Imperiali tractantur, v. g. Citationis, mandati, reſcripti, de citationibus & mandatis alibi, hic de Reſcriptis. Si quis igitur pro reſcripto ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum ſupplicaverit, videat Referens, 1. an ſupplicans libellum juxta formam in *R. J. N.* Dieſem nechſt. 34. præſcriptam, ſcilicet non articulatum, id eſt, verum, 1. verum 2. &c. Sed aut punctatum, id eſt 1. 2. 3. &c. aut Summarium, nervosè conceptum exhibuerit. 2. An intentionem ſuam aliquomodo probaverit. v. g.

II. Si

II. Si fortè agens petierit reſcriptum de ſolvendo ſalarium vel expenſas &c. apponere debet contractum in Originali, aut vidimata copia & taxationem Judicialem expenſarum, & tunc Referens decernet Reſcriptum ſub termino duorum menſium, aliàs denegabit, aut ſupplicanti injunget, ut de ejusmodi prius doceat.

Quid autem Agens, aut Procurator, æque, ac Judex hac in materia ulteriùs obſervandum habeat, vid. *Bl. tit.* 34. *à n.* 248. *usque ad finem.*

III. Cœterum Proceſſus ſimplicis querelæ, nimirùm Reſcripti vel citationis, non niſi contra immediatum Imperii locum habet, ut & alibi dictum eſt.

IV. Sunt autem reſcripta alia pœnalia, ſeu magis Seria, in quibus præcipitur ſub pœna disgratiæ, vel indignationis Cæſareæ, bey der Käyſerl. Ungnad/ alia ſimplicia, quibus Reus ſimpliciter jubetur aliquid dare, facere, vel omittere, & hæc in cauſis communibus, illa verò in magis arduis, &

eum fortè primo reſcripto non fuerit paritum, decernantur.

V. Si verò nec hiſce paretur arctiora reſcripta ſub pœna aliquot marcarum auri, & ſi nec his obeditur, paritoriæ, ut & pœnarum declaratoriæ; nec non reſcripta executorialia, ad Principes Circuli decernantur, ſicut in cauſis mandati.

TITULUS XLII.

De Mandatorum cauſis.

I.

CUm à Practicis & inprimis Domino Jacobo Blum. in Proceſſu ſuo Camerali *tit.* 34. multa de Mandatis eorumque differentiis enarrentur, deque iis, quæ ad mandata S.C. vel mandata C.C. extrahenda vel impetranda requiruntur, tot & tanta ſcribantur, ut praxeos ſtudioſi, vel in eam ſolam materiam maximum ferè tempus inſumant, ego ut breviùs expediantur, id ſolummodo ex mente

mea,

mea, ſalvo meliori judicio, dixerim, totam omnium in orbe Proceſſuum cauſam non niſi injuſto & in injuſto conſiſtere, juſtum, ut fiat, injuſtum verò, ut amoliatur.

II. Quemadmodum autem juſtum aut injuſtum in magis & minùs verſatur, in iisque omnibus, quæ ſummam claramque habent, aut patiuntur injuſtitiam, mandata S. C. in cœteris verò minùs expeditis, & in facto fundatis, adeoque ferè ex conventione & contractu ortis mandata C. C. locum habent, ita illis in caſibus mandata S. C. decernenda ſunt, qui nullo planè jure juſtificabiles ſunt, quorum ordinatio Cameræ. *p.* 2. *tit.* 23. quatuor, **vier Fälle**/ numerat. *Bl. tit.* 34. *n.* 69. 70. 71. 72. *&* 73.

Quorum primus eſt, ſi factum, nullo jure eſt juſtificabile. 2. Si factum, poſtquam patratum foret, damnum irreparabile cauſaret, v. g. in periculo vitæ, excidendæ ſylvæ, fluminis alio deducendi, & 3. ſi factum patrandum in perniciem Reip. redundaret, v. gr.

 ſi ſe-

ſi ſecuritas publica non præſtetur, navigationes per ſtructuras impedirentur &c. 4. Caſus, qui moram non patitur, v. g. ubi hoſtis invaſio timetur, aut incarceratus ſqualore & inedia emaceratur &c. Quibus *Blum. tit.* 34. *n.* 75. *usque ad n.* 169. Speciales, ſupradictis tamen quatuor caſibus incluſos, addit, nimirum

1. In pignorationibus ſup. *tit.* 32.

2. Arreſtis ſup. *tit.* 39.

3. Ex cauſa Sævitiæ contra ſubditos, prævia capta informatione.

4. Contra debitorem, qui ſe obligavit ad patiendam executionem, mit oder ohne Recht.

5. Contra debitorem, qui contra edictum monetale, aliam monetam, pro alia ſolvere vult.

6. Contra eundem ſuper debito liquido, inſtrumento guarantigiato, id eſt, ſpecialiter per Notarium cum clauſulis executivis confecto.

7. In nunciatione novi operis.

8. Si Magiſtratus, contra ſubditos collectas non ſolventes agit.

9. Con-

9. Contra minantes vim publicam.

10. In Naufragiis, contra Dominos fluminum, qui merces perditas ſibi aſſerunt.

11. Mercatoribus contra Dominum Territorii, qui Salvum Conductum negat.

12. Contra foventem Judæos.

13. Contra eum, qui turbat aliquem contra ſententiam Imperatoris.

14. Contra Commiſſarium Cæſareum, examen teſtium protrahentem.

15. Contra monopolium exercentes.

16. Contra eum, qui ſubditos tertii innocentis prætenſo belli jure, incarceraverit.

17. Contra alienantem bona litigioſa.

18. Contra eum, qui liberum aditum ad captivos impedit.

19. Contra eum, qui captivos non ſiſtit.

20. Contra Magiſtratum, bona furtiva confiſcantem.

21. Con-

21. Contra eum, qui aliquem in perſonalibus ex foro evocat. *L. fin. C. ubi in rem actio.*

22. Contra non exhibentem filios Patri aut Pupillos Tutori.

23. Contra eum, qui aliquem à litis proſecutione impedit.

24. Contra excidentem arbores fructiferas.

25. Contra Leproſum ſanos non evitantem.

26. Contra ſubditos homagium renuentes.

27. Contra immediatos teſtimonium negantes.

28. Contra eum, qui litem in Conſilio cœptam ad Cameram pertrahit & vice verſa.

29. Contra introducentes nova vectigalia.

30. Contra perſonas publicas, v. gr. Advocatos Notarios officium denegantes.

31. Contra negantem alimenta.

32. Contra Magiſtratum, qui Pupillis Tutores dare negligit.

33. Ei, qui Statu motus, contra moventem, cum citatione ſuper injuriis.

34. Si bona Pupilli ſine decreto Judicis alienata ſunt, quomodo autem legitime alienari poſſint. *Vid. Blum. tit. 34. n. 154.*

35. Tertio contra eum, qui captivum de fuga ſuſpectum dimiſſurus eſt.

36. Contra impedientem navigationes.

37. Contra confiſcantem bona ejus, qui ſibi mortem conſcivit.

38. Contra officiales, qui ſe in Civilibus competentes pronunciant.

39. Contra eum, qui indiciis non ſufficientibus Reum vult torquere.

40. Contra eum, qui inquiſito non dat copiam diffamationis & inculpationis.

41. Contra Magiſtratum, qui Civem expellit.

42. Contra Statum, qui transportationem victualium intercludit.

43. Contra eum, qui juramento renunciavit bonis paternis & fraternis, & poſtea ſe hæreditati immiſcere conetur.

44. Con-

44. Contra eum, qui ſub conditione poteſtativa inſtitutus in præjudicium ſubſtituti eam adimplere nolit.

45. Contra Dominum, qui feudo aperto etiam allodialia tollit.

46. Contra filium, qui bona paterna contra teſtamentum paternum alienare cupit.

47. Contra Judices Eccleſiaſticos in negotiis ſœcularibus, & inter Laicos jurisdictionem exercentes.

48. Contra eos, qui Tutores à Cæſare ſeu Camera confirmatos à Tutela impediunt.

49. Creditori creditoris contra debitorem.

III. Sed mandata cum clauſula, utpote, quæ non niſi formalitates, & ſcrupuloſitates continent, atque aliàs in proceſſum ſimplicis querelæ abeunt, vel omnino abolerem, aut minus rariusque uſurparem eisque ſolum citationis, vel reſcripti Proceſſum ſubſtituerem.

IV. Quid enim intereſt Imperatoris, aut partium? utrum per mandati,

aut

aut reſcripti viam læſus lædendusvé juvetur? maximè cum in caſum contumaciæ æque in proceſſu Reſcripti ad Paritorias, pœnas & executiones deveniri poſſit.

V. Unde requiſita ad mandatum CC. hic ferè prætergrediar & ea potiùs quæ ad mandata S. C. ſpectant, meminiſſe ſufficiet.

VI. Si itaque ex quatuor ſupradictis aliisvé ſimilibus caſibus unus occurrat, & læſus lædendusvé ex ejusmodi, mandatum ſinè clauſula petierit, neceſſe eſt, ut, ſupplicans, niſi mandatum ſibi denegari velit, ſimul etiam citationem mandatis S. C. annecti ſolitam diſertè petat, quæ quidem non cauſam principalem, ſed ſolam pœnam reſpicit, ita tamen comparata eſt, ut Reus, ſi Mandatum S. C. ſub- & obreptitium probaverit, ſimul etiam cauſam Principalem eliſiſſe videatur.

VII. Non requiritur autem ejusmodi citatio 1. in mandatis inhibitoriis. 2. in mandatis affirmativè conceptis, ſed prohibitionem implicitam habentibus,

bus, v. g. de præſtando libero Commeatu *Bl. tit.* 34. *n.* 28. 3. nec in compulſorialibus ad edenda acta priora & rationes decidendi *ibid. n.* 31. 4. nec in inhibitionibus in cauſis appellationum *ibid.*

VIII. Quod autem citatio illa tàm ſtrictè petenda ſit pro muſcipula habeo; cum enim ſupplicans intendat principaliter mandatum S. C. ſanè & accidens deſideràſſe non poteſt non videri, & quæſo, cur ideo Pars ignorans patiatur, quod in Advocatum ignorantem inciderit. Cuique non judex potius puniatur, quod ignorantem hominem in Advocatorum numerum arrogaverit? Supplendum itaque iſtum aliosque ejusmodi errores citationemque iſtam, utut non petitam, annectendam à Judice putarem; ſi aliàs illam annectendam exiſtimaret.

IX. Ignoſcat mihi lector benevolus quod cum ſtylo doctaque praxeos vetuſtate diſputem, ex odio enim formalitatum ſcribo, quibus adeo infeſtus ſum, ut omnes calamos combu-

ſtos

ſtos vellem, qui ſuperfluarum & captioſarum indoctos decipientium aut juſtitiam remorantium authores ſunt, ac ſi juſtitia indoctis eſſet Noverca.

X. Quod & de clauſula ſalutari aliisque ejusmodi dixerim, quare namque Judex non ſemper & ſinè tali clauſula officium ſuum nobile impertiatur? an ideo, quia ignorans non addidit nec petiit, quod doctior petiiſſet; v. g. intereſſe, expenſas, aliave actionem propoſitam ex ſui natura ſequentia, quæque ſi doctior, aſtutiorvé ſupplicans fuiſſet, dubio procul petiiſſet.

XI. Ait quidem lex ſtultum eſſe Judicem, qui ultra petitum adjudicat: ſed id ità ego explicarem, ut ea quæ ab actionis natura ſunt ſeparata, non adjudicet, niſi petita fuerint, quæ verò ità comparata ſunt, ut ignorans, ſi doctior fuiſſet, pro ſui commodo, compendio & intentione aliàs petiiſſet, Judex in Rei injuſti odium, Actori & vice verſa ex officio concederet.

XII. Quoad usque autem Mandata cum clauſula in uſu maneant, ea obſervan-

ſervanda veniunt, quæ Praxis docuit. Cauſa igitur ità comparata ſit, ut in ea mandatum CC. decerni queat, videatque propterea Referens, An ſupplicans unum ex caſibus à D. Blumio *in tit.* 34. *n.* 39. 40. 41. 50. 51. *& ſeqq.* enarratis adduxerit, & aliquo modo probaverit *R. I. N.* §. alle *Supplicanten.* 79. R. H. O. *tit.* 2. §. dieweil auch. 3. *Cætera vid. infra tit.* 43. 51. 52. 53.

TITULUS XLIII.

De mandatis & proceſſibus contra Magiſtratus & Conſtitutiones Imperii.

I.

SI quis petat mandatum, aliosvè proceſſus contra Magiſtratum ſuum: videat Referens, 1. an cauſa concernat Politiam, Kauff-Handels-Zunfft-und Handwercks-Sachen? auch verbottene Aufftreib- und Schel-

tung

tung der Meiſter und Geſellen; Wahl- und Statuten-Sachen; ſeu collectas. 2. An gravamen ſit relevans, & aliquomodo probetur? tunc decernatur reſcriptum pro informatione unà cum inhibitione: ut interim deſiſtat, ſi verò non plenè probaverit gravamen, decernet reſcriptum pro informatione ſinè inhibitione *R. I. N.* §. beynebens. 105. & §. wie nun ſolches. 106.

II. Si quis petat Mandatum S. C. contra Magiſtratum ſeu Judicem inferiorem, ut ſupplicantem, admittat ad reviſionem, tunc videat, 1. an reviſio intra decendium ab inferiore Judice petita ſit? *Blum. Pr. tit.* 46. *n.* 15. 18. & *n.* 22. 2. Summa ſit inappellabilis? ſi namque eſt appellabilis, non permittitur reviſio, ſed neceſſaria eſt appellatio. *ibid. n.* 23.

Si verò eſt inappellabilis, decernet mandatum S. C. ut acta per Imperiales revideri faciat. *Bl. ibid.* vide infra in appellationis affini, ſeu beneficio Reviſionis, t. 47.

III.

III. Mandata inhibitoria decernantur iis, qui contra inſtrumentum pacis in Religione, viâ facti, gravantur. *R. I. N.* §. Wir ſetzen 193.

IV. Mandata & reſcripta non concedantur contra auream bullam, capitulationes Imperiales, pacem Religioſam & profanam, ſeu publicatam, item deſuper anno 1555. publicatam Imperialem & Cameralem executionis ordinem, nec non Monaſterienſem, Oſnabrugenſem, Norimbergenſem executionis receſſum aliasque leges Imperii.

V. Imò nec Imperator quicquam adversùs ea decernet, quin potiùs, ſi quid forte motu proprio quid decreverit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc nullum ſit, nec ii, contra quos ejusmodi decretum fuerit, parere tenebuntur. *cap. Leop. & Joſ. art.* 18. & 38.

TITULUS XLIV.

De Appellatione in genere.

I.

SI quis ſupplicet pro proceſſibus appellationis, indaget, an non Appellatus prævenieudo rationes propoſuerit eos denegandi (quod Romæ nominant nihil transeat) has igitur primùm examinet, ne ſi fortè prægnantes ſint, Partes ulterioribus proceſſibus & ſumptibus involvantur.

II. Deinde ſciendum, quod appellari poſſit ab Auſtregis.

III. A Judice immediatè inferiore.

IV. A Commiſſariis ad inſtantiam partium datis.

V. A Judicibus Rotwilenſibus.

VI. A Principibus ſecularibus & Eccleſiaſticis Feuda ab Imperio habentibus.

VII. A Paribus Curiæ.

VIII. A Judiciis Provincialibus Land-Gerichte in Schwaben / Francken ꝛc.

IX. A Judice Inferiore Reviſionis?

X. A Moderatoribus Collectarum Imperii *Bl. tit.* 45. *n.* 12. 13. 15. 24. 26. 27. 28. 29. 30.

TITULUS XLV.

De Appellatione Extra-Judiciali.

I.

APpellatio extrajudicialis vel extraordinaria eſt, quando quis à gravamine extraordinario vel extrajudiciali appellat; quod tripliciter fit:

1. Si Magiſtratus tanquam Pars aliquem interdictis vel mulctis extrajudicialiter gravet 2. ſi jure & vigore poteſtatis, ac jurisdictionis ſuæ ex officio, vel ad Partis inſtantiam jubendo vel mulctando gravet, 3. ſi velut Pars & Judex gravet, R. H. O. *t.* 2. §. Wir befehlen 2. *circa medium. Bl. Pr. Cam. t.* 45. *n.* 2. 4. 5. 6.

II. In

II. In primo caſu non datur appellatio, ſed via ſimplicis querelæ locum habet.

III. In ſecundo & tertio autem caſu Pars gravata ſi appellaverit, proceſſus appellationis decernantur. R. Z. O. *tit.* 2. §. Wir befehlen 2. *circa medium.*

IV. Notandum tamen eſt, quod ita gravatus in ſcriptis appellare debeat, aliàs ipſi proceſſus denegandi ſint. *Bl. Proc. cam. tit.* 45. *n.* 8.

V. Deinde in caſu ſecundo obſervandum, quòd cum à gravamine extrajudiciali appellatur, adeoque coram Judicio à quo non ſint ventilata acta, compulſoriales non decernantur. *Bl. tit.* 52. *n.* 12. In caſu 3. quod cum à Judice tanquam Parte & Judice ſimul appellatur, tantum inhibitio annectatur, aut ſi in eo dubium ſit, appellatio quidem periculo Partis concedatur, ſed non inhibitio. *Bl. t.* 45. *n.* 3. *t.* 54. *n.* 32.

Digitized by Google

TITULUS XLVI.

De Appellatione ordinaria.

I.

OBſervet Referens ne jura primæ inſtantiæ, Auſtregarum & privilegia de non appellando lædat. *I. P. O. art.* 5. §. *Viſitatio Conſilii.*

II. Appellans exhibeat libellum appellationis, in eoque dicat, an, loco gravaminum, ſe ad acta prioris inſtantiæ referat. *R. I. N.* §. **wolte er aber** 65. aut verò, ſi libellum gravaminum exhibere velit, in eodem dicat 1. in quibus ſe gravatum ſentiat. 2. quid ulterius probare, quidque de novo adducere velit *R. I. N.* §. **zur Beförderung** 64. 3. offerat ſe ad jurandum de calumnia, uti infra de juramento calumniæ.

III. Porrò videndum, an appellatio ſit interpoſita, in cauſis ad Conſilium Imperiale Aulicum aut Cameram

ram non pertinentibus. *à Blumio t.* 46. *n.* 2. 4. 7. 55. 56. 57. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. recenſitis, nam in hiſce denegantur proceſſus appellationis.

IV. Nec ſubditis concedantur proceſſus appellationis ab Electoribus interpoſitæ niſi ob juſtitiam denegatam, aut ob nullitatem *Aur. Bul. tit.* 11.

V. An cauſa ſit devoluta? *Bl. t.* 44. 45. 46.

VI. An ſumma ſit appellabilis? id eſt ubi Privilegium non obſtat 400. imperialium vel 600. florenorum Rhenenſium in capitali, aut in cenſu annuo ſedecim Imperialium *R. I. N.* §. **Viertens** 112. aut trecentorum florenorum Rhen. ſi appellans juraverit ſe eſſe pauperem, id eſt, ſe non poſſidere ultra duo millia florenorum *R. I. N.* §. **auf daß auch umb geringen** 114. *vide Bl. in tot. tit.* 47.

VII. Videat ex officio, an appellatio fortè ex aliqua cauſarum *à Blumio tit.* 55. *n.* 3. 4. 6. 7. 8. 12. 13. 14. 15. *&* 16. recenſitarum ſit deſerta?

VIII. An Appellans, unà cum citatione, compulſoriales petierit, hoc enim omiſſo cauſa eſt deſerta, & Procurator incurrit pœnam retardatæ litis, id eſt, expenſarum *R. I. N.* §. deßgleichen 60. ſed ad quid hæc muſcipula? cum enim quis plenos appellationis proceſſus petit, ſanè etiam compulſoriales petiiſſe non poteſt non videri.

IX. An Appellans unà cum ſupplicatione exhibuerit libellum gravaminum, tam ratione primæ quam 2. inſtantiæ *R. I. N.* §. dieſem nach 34.

X. An Appellans in libello appellationis dixerit, ſe ulteriora deducenda habere, ideoque jurare velle, quod ea in priore inſtantia non habuerit, vel non neceſſaria duxerit. *R. I. N.* §. zumahlen aber 118. eoque fine mandatum ſpeciale calumniæ offerat. *R. I. N.* §. über dieſes 43.

XI. An quatuor formalia appellationis ſint obſervata, quod nimirum 1. gradatim ſit facta. *Bl. tit.* 48. *n.* 1.
2. Quod modus appellandi vivâ voce vel in ſcriptis ſit obſervatus. ibid.

3. Quod

3. Quod ſolennia ſint obſervata *ibid. n.* 42.

4. Quod fatalia ſint obſervata *Bl. tit.* 49.

XII. Gradatim fit, cum ab inſtantia ad immediate ſuperiorem &, non omiſſo intermedio judicio, per ſaltum interponitur. *Bl. t.* 48. n. 1.

XIII. Quoad modum appellationis: videndum an ſupplicans à ſententia definitiva ſeu vim definitivæ habente, vivâ voce, ſtante pede, aut verò in ſcriptis appellaverit.

XIV. Si viva voce aut per ſcriptum Judici eodem mane adhuc ſedenti exhibitum appellaverit, id per annexum protocollum doceat. *R. I. N.* §. In *Appellations*-Sachen 58. & *Bl. tit.* 48. *n.* 8. 9.

XV. Si verò in ſcripto per intervallum tunc per ſcedulam appellationis (in qua ſe appellare per verba expreſſa aut æquipollentia, ſub appellationis nullitate dicere debet) Notario exhibitum & per inſtrumentum appellationis ab eodem confectum oſtendat.

XVI. Doceat autem eodem, quod ſcedulam illam intra decendium conſcripſerit & Notario vel aliis honeſtis hominibus porrexerit, in eaque petierit, ut appellationem Judici à quo inſinuarent deque eo inſtrumentum conficerent. *Bl. tit.* 48. *n.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 19.

XVII. In appellatione à definitiva, ſeu vim definitivæ habente, ad libitum, vivâ voce vel in ſcriptis appellatur, neque tunc opus eſt gravamen aut libellum gravaminum allegare, exceptis ſex ſequentibus caſibus; ubi & gravamen allegari & ſcripto appellari debet, nimirum: 1. ſi tertius pro ſuo intereſſe appellat. 2. ſi appellatur à pronunciatione de exequendo. 3. In caſibus, ubi appellatio de jure eſt prohibita 4. ab extrajudiciali gravamine 5. ſi gravamen interlocutoriæ per definitivam reparari nequeat. 6. ſi à ſententia, competentiæ appellatur, non verò ſi à ſententia incompetentiæ appellatur. *Bl. t.* 48. *n.* 31. 32. 33. 34. 35. 36.

XVIII.

XVIII. Cum Notarius, ſi in ſcriptis, ex intervallo, appellatur, inſtrumentum appellationis conficere debeat, illud examinandum erit. 1. an in Pergameno ſcriptum, aut à Notario teſtificetur illic non fuiſſe copiam pergameni. 2. An contineat invocationem Divini Numinis. 3. annum ſalutis. 4. indictionem. 5. nomen ſummi Principis Romanorum Imperatoris. 6. menſem. 7. diem. 8. horam dici. 9. locum. 10. loci locum. 11. rem geſtam. 12. Teſtium nomina & eorum rogationem. 13. ſignum Notarii manusque 14. annum Regiminis Imperatoris. 15. ſcedulam appellationis verbotenùs inſertam. 16. ſententiam à qua. 17. diem latæ ſententiæ, & ſi fortè ultimâ die decimâ appellatum ſit, etiam, horam. 18. nomen Judicis à quo. 20. nomen appellantis. 21. nomen appellati. 22. an hæc omnia Virgulis ſubducta ad marginem notata ſint? *Bl. tit.* 48. *à n.* 21. *usque ad* 28.

IX. An appellans documentô Judicis à quo docuerit, quòd ſolennia

Appellationis obſervata ſint? aut verò probaverit, quod ſe ad ea obtulerit, ſed admiſſus non fuerit. *R. I. N.* §. **und nachdem** 120. v. g. quod juxta judiciorum inferiorum conſuetudinem 1. facta ſit oblatio juramenti, de non frivolè appellando præſtandi. 2. Cautio de proſequenda appellatione. 3. depoſitio certæ pecuniæ &c. *Bl. t.* 48. *n.* 42. 43. *R. I. N.* §. **auch zum ſechſten.** 117. §. **und nachdem.** 120.

XX. An fatalia appellationis appellans obſervaverit? nimirum 1. an intra decendium à notitia ſententiæ appellationem interpoſuerit? *Bl. tit.* 49. *n.* 2. *usque ad n.* 18.

2. An Apoſtolos, id eſt, aſſenſum Judicis Inferioris intra menſem à die interpoſitæ appellationis à Judice inferiore petierit? *Bl. t.* 50. *n.* 4.

3. An acta prioris Inſtantiæ (juſto pretio redimenda *R. I. N.* §. **aber auch**/ 61. intra 30. dies ab interpoſita appellatione ſerpetierit. *Bl.* 51. *n.* 1.

4. An appellationem intra quatuor menſes à die appellationis, ita intro-

du-

duxerit, ut proceſſus intra eosdem impetrari, expediri & inſinuari poſſint? *decret. de* 12. *April.* 1683. *Bl. tit.* 49. *n.* 26.

XXI. Nec fatalia appellationis introducendæ, niſi in cauſa neceſſitatis prægnantibus ex rationibus neque etiam ultra duos vel tres menſes prorogentur. *R. I. N.* §. **wofern aber** 66. *&* §. **ſo dann** 67.

XXII. Sed ſi fatalia ſine culpa effluxerint ideoque appellans contra eorum lapſum reſtitutionem in integrum petat; videat Referens, an ſupplicans juſtas cauſas probaverit, quod fatalia inſinuandorum proceſſuum ſuâ culpâ non coarctaverit, tunc enim brevi manu, id eſt, non auditâ alterâ parte decernet reſtitutionem, ſecus verò communicabit Appellato. *Bl. tit.* 78. *n.* 9. *&* 10.

XXIII. Verùm ſi appellans fatalia nimis coarctaverit, & ideo quidem fatalium prorogationem petierit, ſed cauſas coarctationis non probaverit, appellatio eſt deſerta. *decr. de* 12. *Apr.* 1683.

XXIV. Obſervandum, an ſententiæ priores ad quas ſententia à qua ſe refert, libello ſint annexæ? nam alias decernatur, ſi ſupplicans etiam ſententias vel decreta priora intra duos menſes produxerit, ſequetur, quod juris, ſuſpenſis interea fatalibus.

XXV. His omnibus benè obſervatis ſuper gravamine ſaltem dubio proceſſus Appellationis decernantur, hac tamen diſtinctione, ut cum in appellatione extrajudiciali, cum nulla ſint prioris Inſtantiæ acta, non decernantur compulſoriales. *Bl. t.* 52. *n.* 12.

XXVI. Neque etiam inhibitio decernatur: 1. Si ſententia à qua lata ſit in puncto cambiorum *R. I. N.* §. **als auch** 107.

2. Si appellatus jam tum ante ſententiam fuerit in poſſeſſione, ſibi adjuncta. *Bl. tit.* 54. *n.* 10.

3. Si ſubditi contra proprium Magiſtratum in cauſis opificum ſtatutorum, **Zunfft- und Handwercks-Ordnung.** Sed potiùs, & quidem vel maximè

mè, in Sachen des verbottenen Aufftreibens und Scheltens der Meiſter und Geſellen / und dergleichen / ad Magiſtratum loci remittantur. *R. I. N.* §. **Wie nun.** 106. niſi gravatorum rationes benè fundatæ & probatæ fuerint, aut periculum moræ ſubſit dicto. §. 106.

XXVII. Si verò dubium ſit, an cauſa Appellabilis, vel ſumma ſit privilegiis conformis, proceſſus aut ſaltem inhibitio non decernantur, ſed priùs ſcribatur Judici à quo pro informatione. *R. I. N.* §. **Schließlichen.** *ad fin.* 123.

XXVIII. Si ſuperius dicta formalia, ſolennia, & fatalia non fuerint obſervata, Proceſſus Appellationis denegentur.

XXIX. Cum juramentum calumniæ in inferiore judicio juxta ejus privilegia præſtandum fuerit, Appellans in perſona, Illuſtris autem per Procuratorem illud ibidem præſtet. *R. I. N.* §. **Auch zum Sechſten.** 117.

XXIV. Obſervandum, an ſententiæ priores ad quas ſententia à qua ſe refert, libello ſint annexæ? nam alias decernatur, ſi ſupplicans etiam ſententias vel decreta priora intra duos menſes produxerit, ſequetur, quod juris, ſuſpenſis interea fatalibus.

XXV. His omnibus benè obſervatis ſuper gravamine ſaltem dubio proceſſus Appellationis decernantur, hac tamen diſtinctione, ut cum in appellatione extrajudiciali, cum nulla ſint prioris Inſtantiæ acta, non decernantur compulſoriales. *Bl. t.* 52. *n.* 12.

XXVI. Neque etiam inhibitio decernatur: 1. Si ſententia à qua lata ſit in puncto cambiorum *R. I. N.* §. **als auch** 107.

2. Si appellatus jam tum ante ſententiam fuerit in poſſeſſione, ſibi adjuncta. *Bl. tit.* 54. *n.* 10.

3. Si ſubditi contra proprium Magiſtratum in cauſis opificum ſtatutorum, **Zunfft- und Handwercks-Ordnung.** Sed potiùs, & quidem vel maximè

me, in Sachen des verbottenen Auff-treibens und Scheltens der Meiſter und Geſellen / und dergleichen / ad Magiſtratum loci remittantur. *R. I. N.* §. **Wie nun.** 106. niſi gravatorum rationes benè fundatæ & probatæ fuerint, aut periculum moræ ſubſit dicto. §. 106.

XXVII. Si verò dubium ſit, an cauſa Appellabilis, vel ſumma ſit privilegiis conformis, proceſſus aut ſaltem inhibitio non decernantur, ſed priùs ſcribatur Judici à quo pro informatione. *R. I. N.* §. **Schließlichen.** *ad fin.* 123.

XXVIII. Si ſuperius dicta formalia, ſolennia, & fatalia non fuerint obſervata, Proceſſus Appellationis denegentur.

XXIX. Cum juramentum calumniæ in inferiore judicio juxta ejus privilegia præſtandum fuerit, Appellans in perſona, Illuſtris autem per Procuratorem illud ibidem præſtet. *R. I. N.* §. **Auch zum Sechſten.** 117.

XXX. Si verò illud in Conſilio Imperiali Aulico præſtandum fuerit. Appellans ejusque Advocatus mandata ſpecialia ſeorſim ſubſcripta & ſigillata ad jurandum de calumnia in primo termino exhiberi faciant, quod Procurator in illorum & ſuam propriam animam præſtet.

XXXI. Mandatum illud autem contineat, 1. ut Procurator in animam appellantis & eius Advocati juret. 2. Quod in prima inſtantia novorum deducendorum notitiam non habuerint, aut ea deducere inutile, vel non opus eſſe cenſuerint, aut ex juſta cauſa deducere non potuerint. *R. I. N.* §. **Wie ebenmäßig.** 73. *&* §. 118.

XXXII. Imò ſi pars, vel Advocatus cauſa pendente moriatur eorum Succeſſores, idem juramentum repetent. *R. I. N.* §. **Zu mahlen aber.** 118. *ſub fin.*

XXXIII. Notandum, quod Appellati quandoque præveniant, & libellos pro executione ſententiæ, à qua ſeu pro denegatione Proceſſuum appella-

pellationis exhibeant; quanquam igitur meminerim, ejuſmodi præoccupatorios libellos aliquando, imò etiam cum indignatione fuiſſe rejectos. Verùm cum ſæpiùs frivolè appelletur, ex ejuſmodi præoccupationibus autem veritas detegi, & Referens priùs ad Judicem à quo reſcriptum pro informatione decernere poſſit, quàm Partes in Appellationis ſumptus inducantur, ego ſalvô meliore judicio exiſtimarem, ità reſolvendos eſſe.

Ad acta ſique ſupplicans lapſis fatalibus docuerit, quod Judex prioris inſtantiæ ſententiam ſuam ad ejus preces non fuerit executus, ad ulteriorem ipſius petitionem fiet, quod Juris.

XXXIV. Quandoque accidit, aliquem ab interlocutoria gravante, & vim definitivæ habente appellare, ut cauſam potiùs protrahat, tum ſi gravamen ſinè appellationis Proceſſu tolli, & cauſa principalis coram Judice inferiore citiùs commodiusque inſtrui & definiri poſſit, decernetur: Reſcribatur

batur Judici à quo, ut ſublato gravamine in cauſa principali debitè procedat, ſecùs verò intra bimeſtre referat, ſalvis fatalibus.

TITULUS XLVII.

De Appellationis Affini & Reviſione.

I.

SI Appellatio ob ſummam non appellabilem in Conſilio Imperiali Aulico, vel Camera Imperiali admitti nequeat, videndum eſt ex officio; An appellans gravatus ſit? tunc enim unà cum cauſæ remiſſione Judici à quo injungatur, ut acta coram, & à Partibus priùs inrotulata, & obſignata, ad univerſitatem revidenda tranſmittat, imò ſi parti petenti id denegaverit, per mandatum ſinè clauſula ad id compellatur. *R. I. N.* §. **Doch mit dieſem.** 113. *Blum. tit.* 46. *n.* 15. 18. ut ſuprà de mandato contra Magiſtratum.

TITU-

TITULUS XLIIX.

De Nullitate in Judiciis inferioribus admiſſa.

I.

NUllitates in priori inſtantia factæ in Conſilio Imperiali Aulico, & Camera Imperiali non attenduntur, dummodo cauſæ principali non præjudicent, & alias ex actis cauſæ merita appareant. *Blum. P.C. tit.* 71. *n.* 14.

II. Appellatio hodie æquè à ſententia, ac ab iniqua intra decendium interponenda eſt, exceptis defectibus inſanabilibus.

III. Unde ſi quis à ſententia nulla appellaverit, ſeu querelam nullitatis interpoſuerit, tunc Referens videat, an nullitas ſit ſanabilis vel inſanabilis.

IV. Si namque ſit ſanabilis, & non appellatum fuerit, ſententia tranſiit in rem judicatam.

V. Si verò ſententia ſit inſanabilis videndum, an nullitas ex ipſa ſententia,

tia, vel ex Judicis, aut Partium Perſonis, vel ex Proceſſûs ſubſtantialibus oriatur. *R. I. N.* §. In dem auch. 121. & §. Bey dem jenigen. 122.

VI. Si ex ipſa ſententia examinet, an ſit contra Jus legis, aut Jus Partis, ſi namque fuerit contra Jus, aut legem conſtitutam, tunc contra ipſam datur reſtitutio, ſi verò contra Jus Partis, tunc non dicitur nulla, ſed tantùm iniqua, vel injuſta, & contra talem, niſi gravatus appellaverit, non datur querela nullitatis; juxta quorundam Doctorum ſententiam, ſed hanc diſtinctionem Oldendorpius graviſſimè, & quidem meo tenui Judiciô, quàm juſtiſſimè execratur, *in Claſſ. 7. art. 13. de actione malè judicati.*

VII. Cumque hoc malum, proh dolor! in judiciis ſit inveteratum, & quidem omnium peſſimum, quando nimirùm Judices, vel ex nimia ingenii & talenti fiducia, acta perfunctoriè legunt, & caſum non ſatis indagant, adeoque per ſæpè ex falſo ſuppoſito nulliſſimè judicant, vel ex affe-

ctu ad cauſam vel perſonam, vel etiam quandoque ex corruptela haud facilè probanda factum, inversè proponunt, aut jura malè applicant, ideò celeberrimi, & doctiſſimi hujus Oldendorpii textum hîc inſerere volui, qui ſic ſonat: Abeat Author iſtius diſtinctionis in malam crucem, quid enim differunt, Jus Partis & Jus ſcriptum in Judice calumnioſo? nonne totum Jus gratiâ partium & hominum ſcriptum eſt? dabisne ullam legem Orbis Romani, quæ alio pertineat, quam ad Jus Partis? DEUS bone! quam craſſus eſt error, quem tamen legulejorum Schola magno tradit encomiô! ſimpliciter nihil diſtinguens; ſi enim Judex cauſam Partis gravat injuſtè, non poteſt ſimul etiam non videri jus, quod de tali cauſa ſcriptum eſt, læſiſſe. Verùm ſi ponas eſſe judicem extra calumniam, tunc poteſt ad alium quendam effectum conſtitui differentia, utrum jus Partis non benè cogno-

cognoverit, an contra jus conſtitutum ſententiam dixerit, ſic accipienda. *L. 1. §. item cum contra. ff. quæ ſentent. ſine appell. reſcind.*

VIII. Cui & ipſam Juſtitiæ definitionem addo, quæ eſt conſtans, ac perpetua voluntas &c. quòd ſanè falſum eſſet, ſi Judex ex falſis ſuppoſitis, aut Jure malè applicato, jura Partis, quæ fortè vel propter reſpectum erga Judicem, vel ex Advocati vel ipſiusmet Partis ignorantia, timiditate, aut intolerabili ſumptuum onere, cauſam urgere nequit, aut fatiſcit, lædere, ipſique integra prædia, & hæreditates ita tollere poſſet, ut, cum, intra 30. annos, Judicis ignorantia, vel malitia pateret, pars læſa rebus ſuis perpetuo orbata manere deberet; unde pro meo quidem modulo firmiter ſentio, Judicem, inprimis cum ſupremus fuerit, quàm maximè decere, ut, non attentâ nullitatis ſanabilis & inſanabilis differentiâ, partem nulliter paſſam verâ juſtitiâ rursùs conſoletur.

IX. Cæ-

IX. Ceterùm conſideret, an inſanabilis nullitas oriatur ex proceſſu? v. gr. vel ratione Judicis vel litigantium, vel ſubſtantialium proceſſus. *Bl. pr. tit.* 56. *n.* 4. *& ſeqq.*

X. An principaliter querelam nullitatis intra 30. annos interpoſuerit? *Idem ibidem.*

XI. An ſumma ſit appellabilis, ſcilicet 400. Imperialium? *idem ibidem num.* 16.

XII. Hæ circumſtantiæ relevantes ſi reperiantur, nullitas tamen non ſit notoria, Referens citationem & compulſoriales ſinè inhibitione decernet. *Idem ibid. n.* 29.

XIII. Si vero nullitas appareat notoria, inhibitionem quoque decernet. *ibid. n. ſeqq.*

XIV. Si vero nullitas incidenter per appellationem propoſita fuerit, tunc Referens unà cum appellatione expediat.

XV. Ceterum in ſententia nullitatis dicatur, nulliter & injuſtè, nichtig und widerrechtlich / judicatum fuiſſe.

TITU-

TITULUS XLIX.

De Reſtitutione in integrum adverſùs ſententiam Judicis inferioris.

I.

SI quis petat reſtitutionem in integrum adverſùs ſententiam Judicis inferioris, videat Referens, 1. an Conſilium Imperiale Aulicum ſit Judex ſuperior? 2. An per viam ſimplicis querelæ proponatur? 3. An ſumma ſit appellabilis? 4. An intra quadriennium ſit propoſita? 5. An juſta cauſa quæcunque ſubſit reſtituendi?

II. Si aliquid horum requiſitorum deſit, Referens pro re nata dicet: Denegatur reſtitutio. Vel ſi docuerit de hoc vel illo requiſito, tunc ſequetur, quod Juris.

III. Si vero quis ad reſtitutionis Judicium admittendus viſus fuerit, Referens dicet: Fiat citatio ad videndum ſe reſtitui in integrum, cum

cum inhibitione executionis, cum reſtitutionis beneficium æque habeat effectum ſuſpenſivum, ac appellatio, Cammer-Gerichts-Ordn. *part.* 3. *tit.* 52.

IV. Si cauſa reſtitutionis videatur valde dubia, inhibitionem non annectat, nec executionem permittat, ſed victori cautionem injungat, ejusque in ſequelam executionem fieri ſinat, niſi difficultas appareat recuperationis, tunc enim ſequeſtrationem potiùs decernat.

V. Habet autem hæc reſtitutio in integrum non modò locum, quando nova reperiuntur inſtrumenta, ſed etiam quando priora ex erroneo forte ſuppoſito fuerint intellecta, poſt ſententiam verò aliter explicata aliisque argumentis & rationibus eliſa.

Plura videatur *infr. tit.* 58.

TITU-

TITULUS L.

De Reductione ad Arbitrium boni Viri.

I.

SI quis petat reductionem ad arbitrium boni Viri, videat Referens, an ab Arbitrio in ſpecie ſic dicto, id eſt, ab eo, qui juxta judicii ordinem judicare electus fuerit, eam deſideret, nam tunc ſupplicantem ad beneficium appellationis, remittet. *Bl. pr. tit.* 58.

II. Si ab Arbitratore, id eſt, ab eo, qui ſinè judicii ordine ſecundùm æquum & bonum judicare, à Partibus electus fuerit, tunc videndum: 1. An cauſa, in qua reductio petitur, ità comparata ſit, ut ſi compromiſſum non fuiſſet, ad Conſilium Imperiale Auliécum ſpectâſſet. 2. An reductio ſit petita intra 30. annos? hisce ſuppoſitis, decernet Referens citationem ad videndum fieri reductionem ad arbitrium boni viri, & porrò procedet, ut in proceſſu ſimplicis querelæ.

TITU-

TITULUS LI.

De Ordine Proceſſus in genere.

I.

PRoceſſus alius ordinarius, in quo nimirùm proceſſus plenariè tractatur, alius extraordinarius, vel ſummarius, in quo non omnia ſolennia proceſſus obſervantur, uti v. g. in cauſis mandatorum ſinè clauſula & aliis, quorum in conceptu Cameræ *part.* 3. *t.* 3. triginta numerantur, in quibus ultra replicam nihil ulterius admittitur.

II. Jubet quidem ordinatio Conſilii Imperialis Aulici, *t.* 2. §. Es wollen. 7. *& Inſtrum. Pacis Oſn. art.* 5. §. quoad proceſſum, ut hîc idem Ordo proceſſûs ſervetur, qui in Camera Imperiali, ſed hoc intelligendum eſt de ſubſtantialibus non autem de ambagibus & formalitatibus, utpotè plerumque partium ſtylum iſtum ignorantium muſcipulis, Advocatorum verò compendiis.

III. Quapropter Stylus Conſilii Imperialis Aulici quemcunque alium præcellit, utpote ſimpliciſſimus., & ita comparatus., ut, ſi probe obſervetur, quicunque ruſticorum aut mulierum in rebus ſaltem non adeo arduis ſupplicare decretumque obtinere, ac inde quid factu opus ſit ipſe ſtatim videre, & ſe juvare queat, ſicut uſus quotidianus & modus hoc in opuſculo paſſim explicatus teſtatur.

Actor agit:

IV. Si Actoris Procurator pro proceſſibus citationis., mandati, reſcripti &c. ſupplicat, narrata ſua aliquo ſaltem modo doceat., ſimulque mandatum procuratorium exhibeat, aut ſaltem de eo proximè exhibendo caveat. *R. I. N.* §. So dann ſolle. 42.

V. Si verò Actor nihil probabile adduxerit, petitum denegetur, aut ſi aliàs juſtum appareat, ei non (ut in Camera:) obſcurè, ſed clarè indicetur, quid & quomodò petere debeat., aut verò Judici à quo vel Superioribus ſupplicantis, imò etiam pro re nata vici-

nis

nis ejus ſcribatur pro informatione ſub termino bimeſtri.

VI. Hoc reſcriptum Actor inſinuandum curet, penes Judicem à quo vel ſuperiores vicinosve relationem urgeat, ac poſt lapſum termini de inſinuatione debitè facta & relatione bis tervo ſollicitata doceat, alias decernat Referens: Si ſupplicans de inſinuatione reſcripti & ſollicitata informatione docuerit, ſequetur, quod juris. *R. I. N.* §. Nach Berathſchlagung.

VII. Poſtquam igitur literæ informatoriæ exhibitæ fuerint; deſuper decernatur: Ad acta, & communicetur ex Cancellaria ad inſtantiam Partis.

VIII. Ad quas Actori ulterius ſupplicare licet, & ſi preces ejus juſtæ compertæ non fuerint, eidem denegentur, ſi verò juſtæ, quàm primùm concedantur, ita ut ejus libellus Parti reæ ſimul communicetur.

IX. Deinde Actor obtentos proceſſus citationis, reſcripti, mandati, vel

appellationis unà cum libello ſuo omnibusque ejus adjunctis à Regiſtratore vidimatis Parti adverſæ, & ſi plures Rei ſint, toties deſcriptis, & à Regiſtratore vidimatis, unicuique legaliter, & intra terminum inſinuari curet. *R. I. N.* §. Dieſem nechſt. 34. §. In den *mandatis CC.* 81.

X. Lapſo termino, Actor reproducat proceſſus obtentos, unà cum mandato procuratorio & documento inſinuationis, & in cauſa quidem citationis petat, ut ſibi communicentur exceptiones, aut procedatur in contumaciam.

XI. In cauſis reſcripti autem de dando, faciendo, vel omittendo, non petat communicationem exceptionis, ſed ulterius reſcriptum magis ſerium, imò etiam ſub pœna aliquot marcarum auri partim Fiſco partim Parti, id eſt, ex æquo applicanda ſubque comminatione executionis, quæ etiam decernatur.

XII. In cauſis mandati S. C. non petat Actor communicationem, ſed ut

Adver-

Adverſarius, ſi mandato non paruerit, in pœnam comminatam condemnetur, contraque eundem mandatum arctius ſub pœna dupli decernatur.

Reus Excipit:

XIII. Si Reus in præfixo termino excipere nequeat, ideoque prorogationem deſideret, neceſſe eſt, ut eam ante præfixi termini lapſum petat, & rationes impedimenti etiam juramento probet, eoque prævio prorogatio, ſed non niſi ſemel concedatur. Sed ſi Actor in cauſa ſimplicis querelæ, intra terminum in citatione, vel reſcripto præfixum non comparet, Reus verò citationem, vel reſcriptum, cum executione à Nuncio vel Notario inſcripta, cum Actoris libello producat, & abſolutionem à citatione petat, abſolvatur, aut ſi in cauſa principali agere malit, Judex in contumaciam non comparentis, Actoris in cauſa principali pronunciet. *Bl. P. C. tit. 66. n. 46. usq; ad n. 52.*

XIV. Reo per Procuratorem præſenti ad libellum contumaciter non

re, & tum demùm eandem concedere & Proceſſus in longum protrahere.

XXII. Unde Referens, cum Parti alterutri per lapſum termini jus acquiſitum ſit, non facilè proroget, multò minùs ſinè plena cauſæ cognitione, & in integrum reſtitutione fortè per Imperatorem ſpecialiter conceſſam brevi manu dicat: Reſciſſo concluſo contumaciali, vel inrotulatorio detur ulterior terminus, aut communicetur. Sed potiùs contumaciæ inhæreat, judicis enim eſt lege ſtare, & eam non pro arbitrio dilatare.

XXIII. Si autem Reus ulteriorem terminum ad excipiendum petierit, videndum, an cauſas debite probaverit, aut ſaltem juratò probare obtulerit, tunc enim eidem concedatur, ſed non aliàs, nec à tempore concluſi deſuper fortè tardiùs ſecuti, & quidem, uti dictum, non niſi ſemel. *R. I. N.* §. Wäre es dann. 38. §. Die biſzhero. 84. §. In dem auch. 97. §. Zum achten. 103. *item Decret. de* 20. *Octobr.* 1666.

XXIV.

XXIV. In cauſa autem mandati S. C. terminus non ad excipiendum, ſed ad parendum, & quidem non niſi unius menſis, id eſt, medietas primi termini concedatur. *R. I. N.* §. Belangend die *mandata*. 76. & §. 78.

XXV. Sed ſi fortè ob cauſæ in publicum influentis gravitatem ulterior terminus concedendus videretur, ad conſcientiæ exonerationem ſatius fore exiſtimarem, ut Imperatori cauſæ prorogationis breviſſimè referantur, & ſinè ejus conſenſu in prorogationem non annueretur.

XXVI. Cœterùm Reus intra terminum exhibeat ſuas exceptiones ſub præjudicio. *R. I. N.* §. 81.

XXVII. Si exceptiones frivolæ fuerint, Reus puniatur aliquot marcis auri. *R. I. N.* §. Und hat der. 40. & §. Nicht weniger. 85. marca auri eſt, nonaginta ſex Daleri Imperiales, ſive 144. florenni Rhen.

XXVIII. Si Reus exceptiones exhibuerit, videndum, an fori ſint declinatoriæ, tunc enim ſi illæ planè claræ

Digitized by Google

TITULUS L.

De Reductione ad Arbitrium boni Viri.

I.

SI quis petat reductionem ad arbitrium boni Viri, videat Referens, an ab Arbitrio in ſpecie ſic dicto, id eſt, ab eo, qui juxta judicii ordinem judicare electus fuerit, eam deſideret, nam tunc ſupplicantem ad beneficium appellationis, remittet. *Bl. pr. tit.* 58.

II. Si ab Arbitratore, id eſt, ab eo, qui ſinè judicii ordine ſecundùm æquum & bonum judicare, à Partibus electus fuerit, tunc videndum: 1. An cauſa, in qua reductio petitur, ità comparata ſit, ut ſi compromiſſum non fuiſſet, ad Conſilium Imperiale Aulicum ſpectâſſet. 2. An reductio ſit petita intra 30. annos? hiſce ſuppoſitis, decernet Referens citationem ad videndum fieri reductionem ad arbitrium boni viri, & porrò procedet, ut in proceſſu ſimplicis querelæ.

TITU-

TITULUS LI.

De Ordine Proceſſus in genere.

I.

PRoceſſus alius ordinarius, in quo nimirùm proceſſus plenariè tractatur, alius extraordinarius, vel ſummarius, in quo non omnia ſolennia proceſſus obſervantur, uti v. g. in cauſis mandatorum ſinè clauſula & aliis, quorum in conceptu Cameræ *part.* 3. *t.* 3. triginta numerantur, in quibus ultra replicam nihil ulterius admittitur.

II. Jubet quidem ordinatio Conſilii Imperialis Aulici, *t.* 2. §. **Es wollen.** 7. *& Inſtrum. Pacis Oſn. art.* 5. §. quoad proceſſum, ut hîc idem Ordo proceſſûs ſervetur, qui in Camera Imperiali, ſed hoc intelligendum eſt de ſubſtantialibus non autem de ambagibus & formalitatibus, utpotè plerumque partium ſtylum iſtum ignorantium muſcipulis, Advocatorum verò compendiis.

III. Quapropter Stylus Conſilii Imperialis Aulici quemcunque alium præcellit, utpote ſimpliciſſimus, & ita comparatus, ut, ſi probe obſervetur, quicunque ruſticorum aut mulierum in rebus ſaltem non adeo arduis ſupplicare decretumque obtinere, ac inde quid factu opus ſit ipſe ſtatim videre, & ſe juvare queat, ſicut uſus quotidianus & modus hoc in opuſculo paſſim explicatus teſtatur.

Actor agit:

IV. Si Actoris Procurator pro proceſſibus citationis, mandati, reſcripti &c. ſupplicat, narrata ſua aliquo ſaltem modo doceat, ſimulque mandatum procuratorium exhibeat, aut ſaltem de eo proximè exhibendo caveat. *R. I. N.* §. So dann ſolle. 42.

V. Si verò Actor nihil probabile adduxerit, petitum denegetur, aut ſi aliàs juſtum appareat, ei non (ut in Camera:) obſcurè, ſed clarè indicetur, quid & quomodo petere debeat, aut verò Judici à quo vel Superioribus ſupplicantis, imò etiam pro re nata vicinis

nis ejus ſcribatur pro informatione ſub termino bimeſtri.

VI. Hoc reſcriptum Actor inſinuandum curet, penes Judicem à quo vel ſuperiores vicinosve relationem urgeat, ac poſt lapſum termini de inſinuatione debitè facta & relatione bis tervo ſollicitata doceat, alias decernat Referens: Si ſupplicans de inſinuatione reſcripti & ſollicitata informatione docuerit, ſequetur, quod juris. *R. I. N.* §. Nach Beraths-ſchlagung.

VII. Poſtquam igitur literæ informatoriæ exhibitæ fuerint; deſuper decernatur: Ad acta, & communicetur ex Cancellaria ad inſtantiam Partis.

VIII. Ad quas Actori ulterius ſupplicare licet, & ſi preces ejus juſtæ compertæ non fuerint, eidem denegentur, ſi verò juſtæ, quàm primùm concedantur, ita ut ejus libellus Parti reæ ſimul communicetur.

IX. Deinde Actor obtentos proceſſus citationis, reſcripti, mandati, vel

appellationis unà cum libello ſuo omnibusque ejus adjunctis à Regiſtratore vidimatis Parti adverſæ, & ſi plures Rei ſint, toties deſcriptis, & à Regiſtratore vidimatis, unicuique legaliter, & intra terminum inſinuari curet. *R. I. N.* §. Dieſem nechſt. 34. §. In den *mandatis CC.* 81.

X. Lapſo termino, Actor reproducat proceſſus obtentos, unà cum mandato procuratorio & documento inſinuationis, & in cauſa quidem citationis petat, ut ſibi communicentur exceptiones, aut procedatur in contumaciam.

XI. In cauſis reſcripti autem de dando, faciendo, vel omittendo, non petat communicationem exceptionis, ſed ulterius reſcriptum magis ſerium, imò etiam ſub pœna aliquot marcarum auri partim Fiſco partim Parti, id eſt, ex æquo applicanda ſubque comminatione executionis, quæ etiam decernatur.

XII. In cauſis mandati S. C. non petat Actor communicationem, ſed ut Adver-

Adverſarius, ſi mandato non paruerit, in pœnam comminatam condemnetur, contraque eundem mandatum arctius ſub pœna dupli decernatur.

Reus Excipit:

XIII. Si Reus in præfixo termino excipere nequeat, ideoque prorogationem deſideret, neceſſe eſt, ut eam ante præfixi termini lapſum petat, & rationes impedimenti etiam juramento probet, eoque prævio prorogatio, ſed non niſi ſemel concedatur. Sed ſi Actor in cauſa ſimplicis querelæ, intra terminum in citatione, vel reſcripto præfixum non comparet, Reus verò citationem, vel reſcriptum, cum executione à Nuncio vel Notario inſcripta, cum Actoris libello producat, & abſolutionem à citatione petat, abſolvatur, aut ſi in cauſa principali agere malit, Judex in contumaciam non comparentis, Actoris in cauſa principali pronunciet. *Bl. P. C. tit. 66. n. 46. usq; ad n.* 52.

XIV. Reo per Procuratorem præſenti ad libellum contumaciter non

reſpondenti præcluditur via defenſionalium, & libellus habetur pro confeſſato, niſi contumaciam purgaverit. *Bl. P. C. tit. 66. n. 67.*

XV. Quapropter obſervet Actor æque ac Reus, quod tametſi aliquis Procurator, ſub ſpe rati & mandati, agat, tamen Principalis nondum ſit habendus pro præſente, niſi procuratorium legitimum produxerit.

XVI. Deinde, ſi Reus juſtam non paritionis cauſam probaverit & expenſas refuderit in eum Statum reſtituatur, in quo cauſam invenit. *Bl. P. C. t. 66. n. 3. & 6.*

XVII. Si Reus quidem comparet, ſed litem conteſtari tergiverſatur, ipſi litis conteſtatio ea comminatione injungatur, quod alias lis pro conteſtata haberi, & Actor ad ulteriora admitti debeat. Cui ſi non pareat, decernatur, lis pro conteſtata acceptatur & Actor ad ulteriora admittatur. *Bl. P. C. tit. 71. n. 15.*

XVIII. Alioquin Reus ejusve Procurator intra præfixum terminum ſuas exce-

exceptiones unà cum mandato Procuratorio producat.

XIX. In cauſis autem mandati S. C. non licet ipſi exhibere exceptiones, ſed debet docere de paritione, aut verò cauſas ſub- & obreptionis porrigere.

XX. Si verò nec exceptiones produxerit, nec termini prorogationem legitimis ex cauſis, ante lapſum termini petierit, ulterior terminus ex officio non detur, ſed prior habeatur pro purificato vel circumducto, & procedatur in contumaciam. *R. I. N.* §. **Jn dem auch.** 97. *Decret. Leop. de* 20. *Octob.* 1660. 17. *April.* 1665.

XXI. Sicut enim vigore dictorum decretorum. *R. I. N.* §. **Wåre es dann.** 38. §. **Zum achten.** 103. Omnis terminus eſt præjudicialis, nec prorogari debet, niſi juſtis de cauſis jurato probatis, & quidem non niſi ſemel. *R. I. N.* §. **Jndem auch.** 97. Ità Judici non licet contra legem hanc, ad quam juravit, ex officio terminum prorogare, multò minùs ſupplicationes pro prorogatione exhibitas diu retine-

re, & tum demum eandem concedere & Proceſſus in longum protrahere.

XXII. Unde Referens, cum Parti alterutri per lapſum termini jus acquiſitum ſit, non facilè proroget, multò minùs ſinè plena cauſæ cognitione, & in integrum reſtitutione fortè per Imperatorem ſpecialiter conceſſam brevi manu dicat: Reſciſſo concluſo contumaciali, vel inrotulatorio detur ulterior terminus, aut communicetur. Sed potiùs contumaciæ inhæreat, judicis enim eſt lege ſtare, & eam non pro arbitrio dilatare.

XXIII. Si autem Reus ulteriorem terminum ad excipiendum petierit, videndum, an cauſas debite probaverit, aut ſaltem juratò probare obtulerit, tunc enim eidem concedatur, ſed non aliàs, nec à tempore concluſi deſuper fortè tardiùs ſecuti, & quidem, uti dictum, non niſi ſemel. *R. I. N.* §. Wåre es dann. 38. §. Die biſſhero. 84. §. In dem auch. 97. §. Zum achten. 103. *item Decret. de* 20. *Octobr.* 1666.

XXIV. In cauſa autem mandati S. C. terminus non ad excipiendum, ſed ad parendum, & quidem non niſi unius menſis, id eſt, medietas primi termini concedatur. *R. I. N.* §. Belangend die *mandata*. 76. *&* §. 78.

XXV. Sed ſi fortè ob cauſæ in publicum influentis gravitatem ulterior terminus concedendus videretur, ad conſcientiæ exonerationem ſatius fore exiſtimarem, ut Imperatori cauſæ prorogationis breviſſimè referantur, & ſine ejus conſenſu in prorogationem non annueretur.

XXVI. Cœterùm Reus intra terminum exhibeat ſuas exceptiones ſub præjudicio. *R. I. N.* §. 81.

XXVII. Si exceptiones frivolæ fuerint, Reus puniatur aliquot marcis auri. *R. I. N.* §. Und hat der. 40. *&* §. Nicht weniger. 85. marca auri eſt, nonaginta ſex Daleri Imperiales, ſive 144. florenni Rhen.

XXVIII. Si Reus exceptiones exhibuerit, videndum, an fori ſint declinatoriæ, tunc enim ſi illæ planè claræ

ſint, decernendum, Remittatur Actor ad forum competens, aut judicem inferiorem.

XXIX. Si verò dubiæ ſint, communicentur ſub termino duorum menſium, & non procedatur in cauſa principali, niſi punctum hoc prius fuerit deciſum. *R. I. N.* §. **Und hat denn.** 40. §. **Es würde aber.** 69.

XXX. Dum autem exceptiones tantum ſunt dilatoriæ, decernatur, Reſtituantur exceptiones ſupplicanti, ut ſimul etiam in cauſâ principali ſub pœna præcluſi agat, quo facto ſequetur, quod juris. *R. I. N.* §. **Es ſolle auch.** 37. §. **Und hat der.** 40. & §. **Es würde.** 69.

XXXI. Liceat etiam Reo unà, cum ſua exceptione reconventionem proponere. *R. I. N.* §. **Im Fall aber.** 40.

XXXII. Poſtquam igitur Reus etiam in cauſa principali, ſeu peremptorie exceperit, litemque negativè conteſtatus fuerit, decernatur: Communicetur ad replicandum ſub termino duorum menſium.

XXXIII.

XXXIII. In cauſis autem mandati S. C. ad exceptiones relevantes decernatur communicatio ſinè termino.

XXXIV. Deinde Reus elapſo termino, doceat de facta inſinuatione exceptionis, & petat communicationem Replicæ, aut proceſſum in contumaciam, idemque toties repetat, quoties terminus prorogatus & lapſus fuerit.

Actor replicat.

XXXV. Si Actor fortè, juſtè impeditus in termino præfixo agere nequeat, ulteriorem terminum ejusque prorogationem juſtis ex cauſis iisque probatis ante termini lapſum, qui eidem etiam concedatur, eo modo, uti de Reo ſupra §. 13. dictum eſt.

XXXVI. Aliàs Actor exhibeat ſuas replicas & petitum in primo libello factum repetat. *R. I. N.* §. 81. *Bl. pr. C. tit.* 26. *n.* 48.

XXXVII. Actor, ſi exceptiones frivolas repererit, aut Reus mandato vel reſcripto non paruerit, contra Reum in contumaciam agat, & in ap-

pellatione, quidem pro actorum inrotulatione: in cauſa mandati, vel reſcripti autem urgeat paritorias, aut mandata ulteriora vel arctiora, aut reſcripta magis ſeria, quæ & concedantur. R. H. O. *tit.* 6. §. Wenn auch in unſerem. 10.

XXXVIII. Porrò, ſi Actor non indigeat ulteriore probatione, nec ad probandum ſe offerat, nec Judex id opus eſſe exiſtimet, in Replica ſtatim ſubmittat & concludat. *R. I. N.* §. Im übrigen. 52.

XXXIX. Si verò Actor ſuper articulis probatorialibus reſponſionem Rei neceſſariam duxerit, poſitiones exhibeat, Commiſſarios petat coramque illis juramentum dandorum, & Reus juramentum reſpondendorum præſtet.

XL. Eo prævio, Reus reſpondeat purè ſimpliciter, clare & ſincerè, & quidem, quoad factum proprium ſuum, per verbum verum, vel non verum, quoad factum alienum autem per verbum credit, vel non credit. *R. I. N.* §. Dieweil aber auch. 41. §. Dahero

hero und wann. 47. §. desgleichen. 48. & §. zu welchem. 49. *Ord. Camer. p. 3. tit. 13. §. 3. Gail. 1. Obſ. 79.*

XLI. Si Reus ſecus fecerit, Reſponſiones pro puris, & articuli pro confesſatis habeantur, nec adverſarius ad alias probationes adſtringatur. §. Zu welchem Ende. 49.

XLI. Si Actor proinde negata per inſtrumenta, quæ in primo libello nondum produxerat, probare velit, ea omnia ſimul & ſemel in replicis allegct, petatque, ut adverſario eorum recognitio ſub brevi termino injungatur. *R. I. N.* §. Beyneben bleibt. 35. §. Wann nun der. 45. & *ſeqq.*

XLIII. Sin autem per teſtes, tunc priùs, quàm replicet, articulos probatoriales ex libello conceptos, absque impertinentibus exhibeat, commiſſarios ad examinandos teſtes petat, & nominet. *R. I. N.* §. Dahero und wann. 47. §. Dieweil aber auch. 41. §. den *punctum probationum.* 50. eoque ordine procedat, uti ſupra tit.

Digitized by Google

de Commiſſione ad examinandos teſtes dixi, eique pro perſonæ & rei qualitate dilationes probatoriæ concedantur *R. I. N.* §. den *punctum probationum*. 50.

XLIV. Viciſſim licet Reo coram iisdem Commiſſariis articulos reprobatoriales exhibere, teſtes nominare, ſuper quibus Actor ſua interrogatoria porrigat. Uti ſupra tit. 22. de Commiſſione ad examinandos teſtes dixi.

XLV. Finitô Teſtium examine, Actor eorum edicit: ita ab Actuario Commiſſionis eluat, & ea omnesque alias probationes Replicis annectat easque ita fulcitas exhibeat. *R. I. N.* §. beyneben 35. *ad quas decernatur*: Communicetur ſub termino duorum menſium.

XLVI. Si verò nec teſtibus, nec ulteriore probatione indiguerit, in replica ſua ſimul etiam concludat & ſubmittat, ac porrò decernatur: Communicetur ſub termino duorum menſium *R. I. N.* §. Im übrigen 52. In aliis dicaſteriis, poſt replicam & duplicam, admittitur concluſio &

contra

contra-concluſio. Schluß und Gegenſchluß & meo tenui judicio, ſi neceſſe fuerit, benè, ſed non ultra.

XLVII. In cauſis mandati S. C. & reſcripti autem, ſi replicæ convincentes ſunt, non communicentur, ſed decernantur, ad Actoris preces reſpectivè mandatum arctiùs vel Paritoria plena, id eſt, rejectis exceptionibus, vel reſcriptum magis ſerium, imò & ſub pœna aliquot marcarum auri.

XLVIII. Si verò Impetrati ſeu Rei exceptiones in cauſis reſcripti vel mandati S. C. relevantes, nec ab Actore in replicis ſatis eliſæ fuerint, tunc Actoris replicæ Reo ſub termino duorum menſium communicandæ ſunt, ac porrò eodem modo procedatur, ut in cauſis ordinariis, ità tamen ut Actori ultimum verbum ſeu ſcriptura maneat.

XLIX. Actor lapſo termino de facta inſinuatione Replicarum doceat, petatque communicationem duplicarum, aut proceſſum in Contumaciam,

am, & toties de ejus lapſu doceat, & in contumaciam urgeat, quoties terminus prorogatus fuerit, uti ſuperius dictum eſt.

Reus Duplicat.

L. Si Reus petat termini prorogationem, concedatur eidem eâ lege uti ſupra §. 13. dictum eſt.

LI. Si porrò Reus probatione non indigeat nec ei injuncta fuerit, in duplicis concludat, & ſubmittat. *R. I. N.* §. wie auch. 58.

LII. Poſtquam igitur illas exhibuerit, nec in iis quicquam novi adduxerit, deſuper decernatur. Communicetur ad notitiam, quo facto inrotulentur acta, poſt duplicas enim ordinariè nulla amplius ſcriptura admittatur. *R. I. N.* §. 81. niſi ut ſupra §. 13. dixi, Partes ob cauſæ gravitatem adhuc indigeant.

LIII. Si verò Reus exceptiones ſuas probaturus exhibuiſſet, non prius duplicabit, quam teſtes examinari fecerit, quapropter exhibere priùs poterit poſi-

poſitiones probatoriales, ut Actor ad eas reſpondeat, uti ſupra §. 39. de Actore probante & juramento dandorum & reſpondendorum dixi. *R. I. N.* §. zu welchem End 49.

LIV. Et ſi Reus porrò exceptiones æque per teſtes probare & Actorem in contrarium convincere contendat, ipſi eodem modo commiſſionem ad examinandos teſtes petere, nominare, & procedere licet, uti de Actore dixi. *R. I. N.* §. vergleichen 48.

LV. Poſtquam proinde Reus duplicas cum ſuis probationibus exhibuerit, decernendum eſt; Communicentur duplicæ ſub termino duorum menſium ad concludendum & ſubmittendum.

LVI. Elapſo hoc termino Reus doceat de inſinuatione duplicæ, petatque Communicationem concluſionis & ſubmiſſionis, aut proceſſum in Contumaciam.

Actor Triplicat & concludit.

LVII. Si Actor prorogationem termini ad triplicandum, ſeu concluden-

Google

dum & ſubmittendum deſideret, ea ipſi, uti alias & ſupra §. 13. dictum eſt, concedatur.

LVIII. Si demum Actor porrigat ſuam concluſionem & ſubmiſſionem, caveat à novis adjunctis, quæ ſi adfuerint decernatur, rejectis novis adjunctis communicetur ſub termino duorum menſium.

LIX. Obſervet Actor in concluſione cauſæ, ut addat clauſulam, ſalvâ & reſervatâ ſibi ulteriore, ſi opus, facti probatione; ſed ſi Partis Advocatus hanc clauſulam omittat, nocebitne Parti? mihi ſaltem non videtur æquum, quin potius exiſtimem incumbere Judici, ut, ſi quid forte ſit, quod probari poſſe putaret, id Parti etiam ſine dicta clauſula indulgeat.

LX. Deinde lapſo termino Actor de inſinuatione ſuæ ſubmiſſionis doceat, petatque communicationem adverſariæ concluſionis & ſubmiſſionis, aut Proceſſum in contumaciam & concluſionem ex officio.

Reus

Reus concludit.

LXI. Si elapſo termino, Reus cupiat ejusdem prorogationem, eidem non denegetur, uti in prioribus ſcripturis.

LXII. Sin autem conclusionem ſuam exhibeat, decernatur: Communicetur ad notitiam, quo facto inrotulentur acta. Qua inſinuatâ, ad cujuscunque Partis petitionem dies ad inrotulandum nominetur.

LXIII. Denique meminerit Procurator, ut ante inrotulationem exhibeat ſpecificationem expenſarum, quas aliàs poſtea perdet R. H. O. *tit.* 7. §. und damit. 14.

LXIV. Obſervet etiam Reus in concluſione ſupra dictam clauſulam, nimirùm, ſalva ulteriore, ſi opus, probatione.

LXV. Si fortè unà alteravé Pars non concluderet, decernendum erit: Habeatur cauſa ex officio pro concluſa, & inrotulentur acta.

Inrotulatio.

LXVI. Uti poſt concluſionem nulla ulterior ſcriptura admitti debet, ita utrique Parti licet & incumbit, ut petat diem ad inrotulandum acta.

LXVII. Si verò Actor forte nolit acquieſcere, ſed ad cauſam protelandam adhuc ulterius audiri cupiat, non admittatur, ſed ad Rei petitionem decernatur: Inrotulentur acta proxima die N. circiter octavam vel nonam poſt decretum, ut interea acta in Regiſtratura Partium ſumptibus compingantur.

LXVIII. Si unius alteriusvé Partis Procurator fortè ob nondum ſolutum ſalarium & expenſas inrotulationem tergiverſatur, ad alterius inſtantiam decernatur. Fiat inrotulatio proximâ die N. moneaturque Procurator Partis adverſæ, ut ſub pœna unius aut duarum marcarum argenti (marca eſt Octo Imperiales) inrotulationi interſit, ſalariumque cum expenſis alia via prætendat.

LXIX.

LXIX. Si verò ob Principalis ſui inhibitionem nolit comparere, ad alterius Partis inſtantiam decernatur, fiat inrotulatio proximâ die N. in contumaciam.

LXX. Inrotulatio quidem fit in Conſilio coram Commiſſariis, ſed commodius fieret in Regiſtratura, ubi & Regiſtrator & Procuratores actorum dorſo inſcribere deberent, inrotulationem ritè peractam eaque completa reperta fuiſſe.

TITULUS LII.

De ordine Proceſſus in cauſis mandati ſinè clauſula.

I.

QUanquam, in titulo ſuperiore de ordine proceſſûs, etiam modum procedendi in cauſis mandatorum plurimum tetigerim, pro majore tamen commoditate & hic quædam repetam & adjungam.

II. In

II. In cauſis mandati cum clauſula obſervet, quæ ſupra dicta ſunt, utpote in quibus idem proceſſus obſervandus eſt, qui in cauſis ſimplicis querelæ.

III. In cauſis mandati S.C. quædam ſunt excepta, de quibus in priore titulo de ordine proceſſûs & tit. de Mandatis dictum eſt.

Actor.

IV. Poſtquam igitur Actor obtentum mandatum adverſæ Parti eo modo, uti priori titulo dictum eſt, inſinuari curavit, de elapſo termino docebit & non petet communicationem exceptionis, ſed ſupplicabit in contumaciam non parentis pro arctioribus, uti ſupra.

Reus excipit.

V. Si in cauſis mandati S. C. Reus vel Impetratus in primo termino prorogationem ad excipiendum petat, Referens decernat: Petita prorogatio non habet locum, ſed fiat paritoria,

ria, ut mandato intra unius menſis terminum ſatis faciat cum eventuali pœnæ declaratione & conceſſione arctiorum proceſſuum, qui porrò, non ſecuta paritione, ex cancellaria expediantur. *R. I. N.* §. belangend 76.

VI. Sed hoc ità quidem hic non obſervatur, cum plures aliquando paritoriæ decernantur, priusquàm ad arctiora procedatur, quia verò id contra legem eſt, partesque inutilibus expenſis crucientur, inpoſterum plures paritoriæ non decernantur, uti Camera Imperialis optimè ſtatuit. gemeine Beſcheid de 13. Decemb. 1664.

VII. Poſtquam igitur Reus vel Impetratus exceptiones exhibuerit, Referens decernat, communicentur, & quidem ſinè termino. *R. I. N.* §. auf den Gegenfall 77.

Actor Replicat.

VIII. Dum Actor replicat, Referens exceptionem & Replicam in cauſis mandati, vel ſummariis ac privile-

giatis

giatis probè perpendat, nec ad duplicandum anſam det. R. H. O. *tit.* 5. §. In den ſummar'ſchen 1.

IX. Si Actor in exceptionibus reperiat, quod Reus, vel Impetratus quidem de paritione, ſed non plenè facta doceat, & ulteriorem terminum petierit, Actor plenam petat paritoriam, eamque Referens decernat, & loco verborum, rejectis exceptionibus, inſerantur verba, non attentâ inſufficienti paritione. *R. I. N.* §. in dem 97.

X. Si verò Reus exceptiones irrelevantes exhibuerit, Impetrans eodem modo plenam petat paritoriam, quam Referens decernat, id eſt: rejectis exceptionibus, fiat paritoria ſub termino unius menſis cum eventuali declaratione pœnæ & arctiorum. *R. I. N.* §. belangend die *mandata.* 76. *&* §. in dem 97. juxta formulam ſequentem:

In cauſâ N. contra N. mandati: Impetrantis petitione, ratione declarationis pœnæ & arctiorum adhuc denegatâ, impetrato, rejectis ejus

ejus exceptionibus, ad docendum mandato Cæſareo per omnia paritum eſſe, tempus unius menſis pro termino & prorogatione ex officio præfigitur, ſub Comminatione, niſi ità egerit, quod tunc dictus Impetratus ſeu reus in pœnam dicto mandato inſertam ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, declaratus, arctioresque proceſſus decreti, isque Impetranti expenſas deſuper factas, ſalvô Judiciali moderamine, refundendas, condemnatus eſſe debeat.

Germanicè In Sachen N. Klägern eines/wider N. Beklagten andern Theils mandati: iſt Klägern ſein der Declaration pœnæ und arctiorum halben / beſchehenes Begehren noch zur Zeit abgeſchlagen / ſondern dem Beklagten / ſeines gethanen Einwendens ungehindert / glaubliche Anzeige zu thun / daß dem ausgegangenen verkünd = und reproducirten Kayſerlichen Mandat all s ſeines Inhalts gehorſamlich gelebt ſey / Zeit zwey Monath pro

 termino

termino & prorogatione, von Ambts wegen / angeſetzt / mit dem Anhang / wo er ſolchem alſo nicht nachkommen wird / daß er Beklagter / jetzt / als dann / und dann / als jetzt in die Pön / berührtem Mandat einverleibt / hiermit erklärt / fernere Proceſs auch erkent / daß er ſeinem Gegentheil die Gerichts-Koſten / derentwegen auffgeloffen / nach Rechtlicher Ermäſſigung / zu entrichten und zu bezahlen ſchuldig ſeyn ſolle.

XI. Cùm adverſus Electores, & quosdam Principes, aliquando, loco mandati, decernatur reſcriptum, cum clauſula juſtificatoria, tunc ſi non paruerit, Referens decernet paritoriam, ſine pœna; imò & ſecundam, ſed, ſi nec huic paritum fuerit, decernet paritoriam tertiam, ſub pœna aliquot marcarum auri, cum annexis executorialibus, quod nimirùm, ſi intra terminum N. non paruerit, Reus nunc uti tunc, & tunc ſicut nunc, in pœnam N. marcarum auri pro medietate Fiſco Cæſareo, pro altera verò medietate impetranti irremiſſibiliter ſolvendam declarari, nec non

non ratione realis executionis ad ulteriorem Partis inſtantiam fieri debeat, quod juris.

XII. Si verò, nec huic paritum fuerit, mandatum vel reſcriptum de exequendo ad Principes circuli, imò tandem etiam bannum contra impetratum decernetur. *Bl. Pr. t.* 77. *n.* 5. *& ſeqq.*

Reus duplicat.

XIII. Poſt impetrantis replicas, Reo quidem regulariter non licet duplicare, ſed paritoriæ pro re nata, vel ſimplices, vel plenæ decernendæ ſunt, uti ſupra; ſi verò à Reo exceptiones relevantes propoſitæ, nec in Actoris replicis ſatis eliſæ fuerint, tunc licet Reo duplicare.

XIV. Vel ſi Reus in replicis aliquid novi repererit, ſeque ad juramentum offerat, ſe reperiſſe rationes antea ignotas, aut non exiſtimaſſe neceſſarias, ad duplicandum admittendus erit. R. *I. N.* §. Nechſt dieſem. 78.

Actor Triplicat:

XV. Hoc eſt ſpeciale, quod in cauſa mandati, cum & ſ. C. Actor habeat

ultimum verbum, &c, cum Reus duplicaverit, Actor quidem triplicare, Reus autem quadruplicare non poſſit.

Actor & executio:

XVI. Cum paritoriæ ſint ſententiæ, iisque cauſæ mandatorum definiantur. Hinc ut, quod, ſi Reus Paritoriæ non paruerit, Actori liceat petere declarationem pœnæ & arctiora, ad quas preces Referens decernat: 1. Fiat declaratio pœnæ mandato inſertæ & moneatur Fiſcalis Imperialis Aulicus, ut pro ſuo intereſſe agat. 2. Fiat mandatum arctius ſub pœna dupli.

TITULUS LIII.

De Ordine Proceſſus in cauſis appellationis.

I.

IN ſuperiore titulo de ordine Proceſſus quidem etiam de modo procedendi in cauſis appellationum multa dixi, ad majorem tamen facilitatem

quædam

quædam repetam, quædam adjungam.

II. Appellans elapſo termino producat eosdem proceſſus, cum documento inſinuationis intra primum quadrimeſtre factæ.

2. Libellum appellationis & gravaminum, eorumve loco, acta prioris inſtantiæ, ſi ad ea ſe loco gravaminum retulerit eaque obtinuerit.

3. Documentum actorum apud judicem inferiorem ter, nimirùm inſtanter, iſtantiùs, inſtantiſſimè requiſitorum.

4. Mandatum procuratorium. *R. I. N.* §. **Bey neben bleibt.** 35. §. *In Appellations*-**Sachen.** 58. §. **Ober auch.** 61. §. **dabey gleichwohl.** 63. §. **wolle er aber.** 65. §. **nachdem.** 120.

5. Mandata ſpecialia ad jurandum de calumnia in animas partis Advocati & Procuratoris. *R. I. N.* §. **Zu mahlen aber.** 118.

6. Petat ſub pœna deſertionis, ut decernatur; benè appellatum & malè judicatum. *R. I. N.* §. *In Appella-*

tions-Sachen. 58. *& ſeqq. item* §. Ob er auch. 61. *&* §. Zu Beförderung. 64. ad quid hæc muſcipula? numquidne ſufficit Appellantem in primo appellationis libello, id ità petiiſſe?

7. Petat, ut, ſi Appellatus exceptiones exhibuerit, ſibi communicentur, aut in contumaciam procedatur.

III. Deinde, ſi Appellans in primo termino produxerit acta prioris inſtantiæ, eorumque publicationem petierit, Referens dicet: Publicentur acta proximâ die N. præſentibus DD. Commiſſariis, & partium Procuratoribus, ubi partes recognoſcant, ſigillum judicis prioris inſtantiæ, atque apertô actorum faſciculo indagent: 1. An acta ſint integra, eaque Latinè vel Germanicè ſcriptâ? 2. An rationes decidendi adſint? *R. I. N.* §. Wolte er aber. 65.

IV. Si acta Gallicè vel Italicè ſcripta fuerint, Referens decernat, ut producens acta per judicem inferiorem in lingvam latinam verti curet, atque ità reproducat. *Ord. Cam. P.* 2. *tit.* 34. §. 6.

V. Si

V. Si verò deſint rationes decidendi, & fortè judex prioris inſtantiæ dicat ſe ex Collegii vel Univerſitatis cujusdam Conſilio ſententiâſſe, nihilo minùs Judex, à quo rationes ab eodem Collegio breviter conceptas, absque ulterioribus ſumptibus, requirat & transmittat. *R. I. N.* §. **Aber auch.** 61.

VI. Si verò hoc factum non fuerit, nec acta producta & appellans de requiſitis, ſed non obtentis actis prioribus, ac decidendi rationibus, docuerit, & ulteriores vel arctiores compulſoriales ad edenda acta petierit, illæ decernendæ erunt. *R. I. N.* §. **Wolte er aber.** 65.

VII. Sin autem appellans de eo non docuerit, decernatur, ſi ſupplicans de actorum requiſitione debitè factâ docuerit, ſequetur, quod juris.

VIII. Si Judex prioris inſtantiæ actorum editionem fortè protraheret, aut denegaret, in pœnam compulſorialibus inſertam duarum marcarum

auri condemnetur & compulſoriales ſub pœna dupli decernantur. *R. I. N.* §. Ob er auch. 61.

IX. Si verò Judex acta non legitimè, id eſt, non in præſentia partium inrotulari fecerit. *R.I.N.* §. So dann ſollen. vel non ſub ſua ſignatura, & clauſula ediderit arbitrariè mulctetur, æque ac appellans ea producens. *R. I. N.* §. So dann ſollen. 62.

Ac porrò appellans ea rurſus intra tempus à Judice prioris inſtantiæ præfixum requirat, ac ulterius documentum requiſitionis, ſub præjudicio abſolutionis à citatione Rei ſeu deſertionis producat. *R. I. N.* §. Dabey gleichwohl. 63.

X. Si verò acta prioris inſtantiæ ob juſtas cauſas, fortè ob appellantis mercedem ſolvere non potentis paupertatem, aliasve, exhiberi non poſſint, ulterior terminus concedatur. *R. I. N.* §. Wofern aber. 66. judexque inferior jubeatur pauperi acta gratis deſcripta, aut ad deſcribendum in originali extradere, & transſcripta conſignare.

XI. De-

XI. Deinde Appellatus, Appellantem in primo termino ad reproductionem proceſſuum, & actorum prioris inſtantiæ, aut in pœnam deſertionis, ſed, poſt reproductos proceſſus, productaque acta prioris inſtantiæ, & in ulterioribus terminis in pœnam præcluſi, & contumaciæ urgeat.

XII. Si Appellatus in cauſa principali agere, non ſatis probata melius probare, & nova deducere voluerit, ſe ad jurandum offerre debet, quod ea in priori inſtantia ignoraverit, aut minùs neceſſaria exiſtimaverit, jam autem neceſſaria ad deducendum duxerit. *R. I. N.* §. **Wie ebenmäßig.** *ad fin.* 73.

XIII. Si verò Appellatus nova non habeat, & appellans ſe ſimpliciter ad acta priora referat, in primo termino ſtatim ad eadem acta concludat & ſubmittat. *R. I. N.* §. **Wann auch.** 70. *&* §. **Wie auch.** 71.

Appellatus excipit.

XIV. Si Appellans fortè, in primo termino non compareat, & Reus abſo-

lutionem à citatione petierit, Appellatio pro deſerta declaretur; *Bl. P. C. tit. 76. n. 63. 64. R. I. N.* §. Da auch wegen. 44.

XV. Si appellans adhuc ante decretam abſolutionem, aut deſertionem compareat, juſtasque non comparendi cauſas probaverit, adhuc admittatur. *Bl. P. C. tit. 66. n. 67.* quod Appellatus obſervet.

XVI. Si Appellatus ante lapſum termini ejus prorogationem petierit, & rationes juſtas, juratò vel aliter probaverit, eidem eâ lege concedatur, uti in tit. de ordine proceſſus. §. 13. dictum eſt.

XVII. Si deinde Appellatus exceptiones fortè declinatorias fori aut dilatorias, id eſt, non devolutorias, deſertorias, aut ejusmodi exhibere deſideret, eas omnes unà cum exceptionibus peremptoriis, id eſt, in cauſa principali, ſimul & ſemel exhibeat, ſub pœna præcluſi, neque poſtea amplius deſuper audiatur. *R. I. de anno* 1594. §. *In Appellations-*Sachen. 64. & *R. I. N.*

§. Es

§. Es ſolle auch. 37. Si verò fori declinatorias, aut devolutorias exhibuerit, cauſam principalem tangere non tenetur. *Ord.Cam. tit.* 32. §. 1.

XVIII. Qualescunque autem exceptiones exhibitæ fuerint, communicentur ad replicandum ſub termino duorum menſium.

XIX. Elapſo termino, Reus urgeat pro communicatione replicarum, aut proceſſu in contumaciam, toties quoties ulterior terminus datus & lapſus fuerit, uti *tit. de Ord. Proceſſus* dictum eſt.

Appellans replicat:

XX. Si fori declinatoriæ exhibitæ fuerint, appellans ad eas ſeorſim replicet, & ſi illæ relevantes fuerint, priùs deſuper decidatur, quàm de cauſa principali quicquam agatur.

XXI. Si verò exceptiones fori declinatoriæ irrelevantes fuerint, decernatur: Reſtituantur exceptiones ſupplicanti, ut ſimul etiam in cauſa principali agat. *R. I. N.* §. Es ſolle auch. 37. §. und hat der. 40. §.

würde aber. 69. §. **wann auch bey.** 70.

XXII. Quando autem Appellatus planè non reſpondet, decernatur: Habeatur lis pro conteſtata & Appellans admittatur ad ulteriora: *Bl.* 4. 71. *n.* 15. &, ſi porrò Appellatus nihil egerit, & Appellans fortè ulterius probare, aut acta referri petierit, ejus precibus annuatur, & acta in Contumaciam referantur.

XXIII. Poſtquam Appellatus in cauſa principali excepit, & Appellans replicavit; Replica ad duplicandum, communicetur & quoad reliquos procedendi terminos eodem modo uſque ad finem & cauſæ concluſionem procedatur, uti ſupra de ordine proceſſus in genere dictum eſt. *R. I. N.* §. **Im übrigen** 72.

XXIV. Si pendente Appellatione, Appellans petierit mandatum attentatorum revocatorium S. C. Referens videat, an ſupplicans de attentatis aliquô modô docuerit? tunc enim illud, ante omnia concedet, & ſeorſim citra

cauſæ

cauſæ principalis intermixtionem, ſicut in cœteris cauſis mandati S. C. tractabit, & definiet.

XXV. Si illa plenè probata fuerint, ante omnia eorum caſſatio executioni demandetur, nec ſupplicans cum ſua petitione ullatenus ad proceſſum judiciarium remittatur. *R. I. N.* §. **und wann gegen** 59.

XXVI. Si verò dubia ſint, id eſt, ſi Judex inferior, aut Appellatus intra terminum relevanter excipiat, tunc ſeparatim in hoc puncto replicando & duplicando usque ad Concluſionem procedatur, & unà cum cauſa principali definiatur.

XXVII. Cæterùm ſi mandatum attentatorum revocatorium fundatum fuerit, arctius ſub pœna dupli cum citatione ad videndum ſe incidiſſe in pœnam priori inſertam decernatur, ac deinde declaratio pœnæ cum comminatione banni.

XXVIII. Obſervet autem Appellans, ne ipſemet attentet, nam tunc cauſa cadet.

XXIX. In cauſis appellationum ut & ſimplicis querelæ, ultra duplicam non eſt quidem admittenda ulterior ſcriptura, juxta Praxim tamen, & non malè, utrimque exhiberi poteſt concluſio, & ſubmiſſio, & contra concluſio & ſubmiſſio, Schluß und Gegenſchluß. Seu triplica & quadruplica, ſinè ullo tamen novo adjuncto, quod in cauſis mandati S. C. & debiti liquidi aliisque cauſis ſummariis non habet locum, utpotè in quibus ultra replicam non admittatur ſcriptura. R. H. O. *tit.* 5. §. In dem ſummariſchen. 1. uti ſupra de ordine proceſſus in genere dixi.

XXX. Si Appellans de inſinuatione concluſionis & termini lapſu docuerit, & in Contumaciam imploraverit, Reus autem in termino primo vel prorogato non concluſerit; Referens non det ex officio alium terminum, ſed concludat ex officio, & dicat: Habetur cauſa ex officio pro concluſa & inrotulentur acta.

XXXI. Si Reus in termino concluſerit, Referens dicet: Communicetur, quô factô, inrotulentur acta.

XXXII. Poſtquam Pars alterutra de inſinuatione hujus concluſi docuerit, & diem ad inrotulationem petierit, decernatur, fiat inrotulatio proxima die N. octiduo circiter poſt, ut interea acta compingantur ſumptibus partium in Regiſtratura.

TITULUS LIV.

De Terminis.

I.

IN omni proceſſu terminorum obſervatio eſt neceſſaria.

II. Detur itaque tempus juſtum, & quidem inter abſentes trium aut ad minimum duorum menſium. *R. I. N.* §. **würde hierauf.** 36. exceptis cauſis mandati S. C. nec non reſcripti, claris nulla exceptione refutabilibus, ubi primus quidem terminus ſit bimeſtris,

ſtris, ulterior terminus Paritorius non niſi unius menſis, inter Partes præſentes autem, non niſi trium, octo vel quatuordecim dierum.

III. Cœterum omnis terminus eſt præjudicialis & peremptorius, ita ut *is*, cui datus eſt, ſi Pars adverſa de eo lapſo & circumductо vel purificato doceat, & in contumaciam imploret, nihil amplius agere poſſit, v. g. ut libellus pro confeſſato habeatur, & via defenſionales opponendi ſit præcluſa, in pœnam comminatam incidat, non jurans ad jurandum non amplius admittatur, in termino non agens ab agendo excludatur & cauſa pro concluſa habeatur. *Bl. tit.* 76. *n.* 13. *&* 14. niſi ante ejus lapſum, juſtas non agendi cauſas probet & termini prorogationem petat. *Bl. tit.* 76. *n.* 17. 24. 25.

IV. In Camera Imperiali diverſa terminorum nomina ſunt, ſed hoc in Conſilio non niſi legalis, præfixus, prorogatus & collectus obſervantur.

V. Legalis Terminus eſt, quem lex & ordinatio præſigit, v. g. fatale ad inter-

terpo-

terponendam, & introducendam appellationem vel reviſionem.

VI. Præfixus terminus eſt, quem Judex ex officio in citatione vel reſcripto præfigit.

VII. Prorogatus, quem Judex ex officio prorogat, Parte non petente, quanquam hæc per legem inhibita ſit, cum omnis terminus ſit peremptorius, nec ſinè juſta cauſa à ſupplicante probata prorogari debeat.

VIII. Collectus terminus eſt, quem Pars petit à judicio, & obtinet.

IX. Scias autem terminum non eſſe computandum eum, ſed à die inſinuationis, v.g. ſi die Lunæ terminus trium dierum fuerit inſinuatus triduum incipit à poſtera die Martis, & finitur ultima hora diei Jovis, ità, ut ante diem Veneris in contumaciam ſupplicari nequeat.

X. De termini præfixi lapſu ſupplicans Adverſarius per inſtrumentum inſinuationis doceat, ac diem, quo effluxerit, nominet, vel ſi quis ipſe ſibi termini prorogationem collegerit, vel obtinue-

ſtris, ulterior terminus Paritorius non niſi unius menſis, inter Partes præſentes autem, non niſi trium, octo vel quatuordecim dierum.

III. Cœterum omnis terminus eſt præjudicialis & peremptorius, ita ut is, cui datus eſt, ſi Pars adverſa de eo lapſo & circumductο vel purificato doceat, & in contumaciam imploret, nihil amplius agere poſſit, v.g. ut libellus pro confeſſato habeatur, & via defenſionales opponendi ſit præcluſa, in pœnam comminatam incidat, non jurans ad jurandum non amplius admittatur, in termino non agens ab agendo excludatur & cauſa pro concluſa habeatur. *Bl. tit.* 76. *n.* 13. *&* 14. niſi ante ejus lapſum, juſtas non agendi cauſas probet & termini prorogationem petat. *Bl. tit.* 76. *n.* 17. 24. 25.

IV. In Camera Imperiali diverſa terminorum nomina ſunt, ſed hoc in Conſilio non niſi legalis, præfixus, prorogatus & collectus obſervantur.

V. Legalis Terminus eſt, quem lex & ordinatio præfigit, v.g. fatale ad interpo-

terponendam, & introducendam appellationem vel reviſionem.

VI. Præfixus terminus eſt, quem Judex ex officio in citatione vel reſcripto præfigit.

VII. Prorogatus, quem Judex ex officio prorogat, Parte non petente, quanquam hæc per legem inhibita ſit, cum omnis terminus ſit peremptorius, nec ſinè juſta cauſa à ſupplicante probata prorogari debeat.

VIII. Collectus terminus eſt, quem Pars petit à judicio, & obtinet.

IX. Scias autem terminum non eſſe computandum eum, ſed à die inſinuationis, v.g. ſi die Lunæ terminus trium dierum fuerit inſinuatus triduum incipit à poſtera die Martis, & finitur ultima hora diei Jovis, ità, ut ante diem Veneris in contumaciam ſupplicari nequeat.

X. De termini præfixi lapſu ſupplicans Adverſarius per inſtrumentum inſinuationis doceat, ac diem, quo effluxerit, nominet, vel ſi quis ipſe ſibi termini prorogationem collegerit, vel obtinue-

tinuerit, Adverſarius per protocollum de lapſu termini à poſtera die conceſſionis computandi doceat, diemque ultimum nominet. R. H. O. *tit.* 3. §. Dabey. 3.

XI. Si Pars termini prorogationem petierit, licet illa per decretum ſ. concluſum non fuerit conceſſa, tamen intra illud tempus ſua neceſſaria exhibeat, aliàs, ſi non exhibuerit, poſtea non amplius audiendus erit, imò & mulctam ſolvet. *Decret. Leop. de* 17. *April.* 1665.

TITULUS LV.

De Relatione poſt concluſionem cauſæ.

I.

PRæmittere mihi liceat, inter referendum me ſæpiùs optâſſe, ut partes Re- & Correferenti, factum & cauſæ Statum recenſentibus, in judicio adeſſent, ut, ſi fortè, quid circumſtantiæ omitteretur, aut minùs rectè ſuppone-

poneretur, utrimque monerent. Et certè cum in Rota Romana moris ſit, quod Referens, quem Ponentem vocant, pridie cauſæ ad plenum referendæ Partes domum ſuam citet, atque alternatim tamdiu interroget, & ſcrutetur, donec de facto & cauſæ Statu invicem conveniant, planè non dubitarem, quin id ipſum, & in hoc quoque ſupremo Imperii dicaſterio fieri poſſet? Nam ſi Re- & Correferens poſt ſolutas ſportulas, ſolum inter Re- & Correferentem diſtributas, factum & cauſæ Statum, ex actis inrotulatis erutum, Partibus domum ſuam citatis, proponerent, easque, num illud ità veritati conſonum eſſet, interrogarent, ac tamdiu, donec ambæ de ſola caſus veritate conveniſſent, invicem audirent, illudque porrò unà cum ſchemate ſæpiùs deſcriptum, aut (uti Romæ) impreſſum, menſæ Conſilii imponerent, & quisque Conſiliariorum legeret, juſtitiam mirum in modum promotum iri exiſtimarem, primùm enim legibus,

L. Sin-

Digitized by Google

L. Singuli. 14. *C. de accuſat.*
L. Si quis I. C. de Relat.
L. Appellandi I. §. *quæſitum eſt.* 1. *ff. de appell. & relat.*
L. Siquidem. ff. quando appellandum ſit.

Satisfieret, ac deinde etiam, & quidem vel maximè, ſi Conſilium Imperiale Aulicum, utpote vigore reſolutionis Cæſareæ *de* 20. *Octobr.* 1692. ex decem Juris-Conſultis, & octo Illuſtribus ſeu Laicis collectum in duos Senatus diſtribueretur & ſportulæ ſolverentur, cauſæ multo plures expedirentur & deciderentur, cum Collegium vel Senatus quinque Juris Conſultorum & quatuor Illuſtrium, rebus etiam graviſſimis ſufficeret.

II. Ad rem autem ut veniam, Secretarius cauſæ Præſidi inſinuet, acta eſſe inrotulata, & integra; num eorum relationem jubere velit? qui porrò, juxta ſupra *tit.* 4. §. 48. allegatum ordinem in R. H. O. *tit.* 4. §. und ſoll, 6. *& ſeqq.* præſcriptum acta referri curet.

III. Poſt-

III. Poſtquam igitur Præſes relationem juſſerit, Re- & Correferentes videant ex inſcriptione Secretarii in dorſo actorum facta, 1. An acta debitè inrotulata? 2. an integra reperta ſint? nam ſi alterutrum deficiat, Referens Procuratorem, qui manca acta referri petierit, in pœnam ordinationis declarabit; & actorum defectum compleri jubebit, maximè verò ſi Procuratoria mandata producere neglexerit. *R. I. N.* §. Als auch. 173.

IV. Actis completis & integris, Referens, antequam ad relationem procedat ipſemet, & non per alios acta legat, indeque & ex ſuis protocollis, quæ ſtatim ab initio cujusque cauſæ ſibi per extractum facere debuit, relationem ſuam concipiat. Idemque Correferens faciat. R. H. O. *tit.* 5. §. Es ſollen auch. 13.

V. Hisce præviis Referens non inchoabit relationem cauſæ.

Niſi 1. illa ſit in ordine ſupra *tit.* 4. §. 48. præſcripto.

2. Niſi à Præſide juſſus.

3. Niſi

3. Niſi alia cauſa non ſit in relatione.

4. Niſi ad minimum octo Conſiliarii ſint præſentes. R. H. O. *tit.* 1. §. Und weilen dann. 15. *in fin.*

5. Neque in cauſis diverſæ Religionis, niſi & alterius Religionis Correferens, à Præſide conſtitutus unà ſit paratus & correferat.

6. Neque Conſiliariis alterius Religionis non præſentibus.

VI. Poſtquam & Correferens relationem ſuam paraverit, ambo ſibi invicem communicabunt, extractum actorum & facti ſpeciem, ſed non votum.

VII. Deinde ambo facti ſpeciem, ut & Schema Perſonarum diſceptantium, ante & inter relationem omnibus patulam relinquent in menſa. *R. I. N.* §. und nach dem. 144. *&* §. dieſem nechſt. 145. R. H. O. *tit.* 4. §. da aber. 12. §. es ſollen auch. 13. §. da auch. 16. §. ſo bald. 17.

VIII. Hoc facto Relationem paratam eſſe Præſidi inſinuabunt, qui ſtatim nullô perditô tempore jubeat, ut refe-

referant, ne per intervallum circumſtantiarum obliviſcantur. R. H. O. *tit.* 4. §. So bald. 17.

IX. Deinde Referens priùs quàm relationem inchoët, ſuper quo puncto concluſum & ſubmiſſum? quisque cauſæ Status ſit, breviter recenſeat juxta dictum Schema, ut ceteri inter legendum eò facilius comprehendant cauſæ merita. *R. I. N.* §. den *modum.* 143.

X. Puncta jam tum deciſa ulterius non deducat, ſed ibi incipiat ubi deciſio priorum finiit. *R.I.N.*d §. 143.

XI. Non referat interruptè, multò minùs absque ſpeciali Imperatoris juſſu, vel inhibitione à relationis proſecutione ceſſabit, ſed continuò & conſequenter, nullâ aliâ interpoſitâ relatione, usque ad finem perget, eumque Correferens, eâdem aut alterâ ſtatim die, nullô aliô negotiô interpoſitô ſuâ correlatione excipiet. R. H. O. *tit.* 4. §. *ult. R. I. N.* §. den *modum referendi.* 143. & §. In alle weg. 146.

XII. Ob-

XII. Obſervet modum & ordinem referendi Cameræ Imperiali præſcriptum. R. H. O. *tit.* 5. *poſt princ.*

XIII. Referens & Correferens clarâ & altâ voce ad longius ſedentium auditum referat, & non (ut cum ſummo temporis diſpendio fit) tota, ſed extractus actorum & inſtrumenta neceſſaria legant, ut ceteri Conſiliarii neceſſaria annotare valeant. *R. I. N.* §. den *modum referendi* betreffend. 143. R. H. O. *tit.* 4. §. Es ſollen auch. 15.

XIV. Generalia narrata omittant, ſed ſolummodo ad cauſam neceſſaria ex actis ſinè verboſitate breviter repetant. *R. I. N.* §. den *modum.* 143.

XV. Proponat Referens, 1. an juriſdictio ſit fundata?

2. An Procuratoria eorumque requiſita, juxta formam à Receſſu Imperii de anno 1654. præſcriptam cum ſubſtitutione & in hæredes adſint?

3. In cauſis appellationum, an intra decendium interpoſitæ ſint?

4. An ſumma ſit appellabilis?

5. An

5. An acta intra 30. dies ab interpoſitâ appellatione à Judice priore ter debitè ſint requiſita?

6. An appellatio intra quadrimeſtre, ità ſit introducta, ut proceſſus deſuper obtineri & intra idem quadrimeſtre adverſario potuerint inſinuari.

7. An Proceſſus etiam intra idem tempus vel terminum fortè prorogatum Adverſario debitè fuerint inſinuati?

8. An appellans proceſſus obtentos intra ſemeſtre vel terminum prorogatum reproduxerit, & malè judicatum, ac bene appellatum eſſe decerni ſub pœna deſertionis petierit.

9. An numerus ſcripturarum ordinarius, nimirum quatuor, aut in cauſis probationum ſex, ſit complectus, exceptis cauſis mandatorum ſinè clauſula, in quibus Actor ultimum habet verbum.

10. An ambæ Partes in cauſa concluſerint; nam ſi non concluſerint; & tamen ſcripturarum numerus adſit, Referens in principio ſententiæ dicet:

Cauſa inter N. & N. ex Officio habetur pro concluſa, ac proinde &c.

11. Attendat ex officio, an fortè non interceſſerit nullitas?

XVI. His omnibus prævio examinatis, videat Referens, quænam ex libello oriatur actio?

XVII. An actionis illius requiſita adſint?

XVIII. An & quomodo actionem actor probaverit?

XIX. An & quomodo Reus actionem eliſerit.

XX. Quid porrò in cauſa, principali definiendum ſit?

XXI. Quid ratione expenſarum, damnorum & intereſſe decernendum?

XXII. Denique quomodo ſententia concipienda & publicanda ſit?

XXIII. Re- & Correferentis relatione finitâ, Præſes primùm omnium examinabit, an in facto ſint unanimes? hoc enim firmiter poſito, eorum opiniones unà cum rationibus indagabit: Si verò in facto non ſint unanimes,

nimes, jubeat, ut factum meliùs indagent, donec clarum & conſtans ſit.

XXIV. Poſtquàm hi mentem ſuam ac rationes expoſuerint, Præſes reliquos conſulet, qui niſi rationes novas aut contrarias habeant, ſimpliciter Re- aut Correferenti conſentient. R. H. O. *tit.* 5. §. Welcher aber. 10. Niſi prægnantiores rationes adducere, vel diſſentiendo contrarias proponere voluerint. *Reſ. Ferd. III.* §. 10. *R. I. N.* §. Und nachdem. 144. *&* §. dieſem nechſt. 145.

TITULUS LVI.

De ſententia, quomodo ferenda?

I.

SEntentia in cauſis injuriarum, ut & quando principales mortui & hæredes ignoti ſunt in Procuratorem concipiuntur. *Bl. tit.* 75. *n.* 40. In omnibus reliquis cauſis autem publicantur in principales.

K 2 II. Ob-

II. Obſervet Referens, ut cum ſententiæ ferantur, non nobili, ſed mercenario judicis officio, judicet juxta libellum, nec plus adjudicet, quam petitum fuerit, & ſententiis definitivis, ad aliquid dandum, vel faciendum, aut, ubi fortaſſis executione opus fuerit, inſerat executoriales, id eſt, terminum congruum de paritione, ſub pœna, v. g. decem marcarum auri pro ſemiſſe fiſco, pro altero verò ſemiſſe Parti Victrici, applicanda, cum comminatione realis executionis, hiſce ferè verbis, poſt ſententiam expreſſis:

III. Quod niſi huic in termino duorum menſium paruerit, nunc ſicut tunc, & tunc ſicut nunc in pœnam 10. marcarum auri puri, pro ſemiſſe Fiſco Imperiali, pro altero ſemiſſe Victori irremiſſibiliter exſolvendam declarari, ut & ratione realis executionis ad ulteriorem Victoris implorationem ſequi debeat, quod juris.

IV. Germanicè verbis ſequentibus, mit dem Anhang/ wo er (condemna-

demnatas) ſolchem inner zwey Monath Zeit alſo nicht nachkommen wird/ daß er jetzt als dann/ und dann als jetzt in die Straff der zehen Marck löthigen Golds/ halb dem Käyſerl. Fiſco, und zum andern halben Theil dem Kläger unnachläßig zu bezahlen erklärt/ auch der Real-Execution halber/ auff ferneres Anruffen ergehen ſoll/ was recht iſt. *R. I. N.* §. Damit auch. 159.

V. In ſententiis autem prohibitoriis Referens pœnam à contraveniente pendendam annectet. *R. I. N.* §. In Fällen und Sachen. 102.

VI. Referens non obliviſcatur pœnæ temere litigantium, quæ utinam ſeverius & ſæpius dictaretur! *R. I. N.* §. Nicht weniger. 85. & quidem ſinè moderatione judiciali, ſed in quantum pars adverſa juraret, ſua interfuiſſe. Tantus enim quandoque Advocatorum turpibus lucris inhiantium, & maximè partium aliena prædia injuſtè poſ-

 ſiden-

Digitized by Google

ſidentium, vel juſtiſſima debita negantium livor eſt, ut ſatis coërceri nequeat.

VII. Si ſententia in appellatione eſt confirmatoria prioris, aut non devolutoria, appellans in reſtitutionem fructuum perceptorum & percipiendorum intereſſe & expenſas, imò ſi appellatio, vel alia actio frivola videatur, etiam unà cum Advocato, in pœnam temerè litigantium condemnetur, v. g. duarum, aut plurium marcarum auri. *L. eos, qui* §. *ne temere.* 4. *C. de appell. L. ab executione.* 5. §. *final. C. quorum appell. non recip.* ut in cauſa M. contra S. 14. Januarii 1698. judicatum eſt. *R. I. N.* §. Würde ſich aber. 119. *&* §. Und nachdem. 120.

VIII. In ſententia partim confirmatoria partim reformatoria, ut & in planè reformatoria appellans abſolvatur. Ceterum dicatur in ſententiis nullitatum, Judicem nulliter & injuſtè, nichtig und widerrechtlich / judicaſſe: in aliis, injuſtè, widerrechtlich / ſententiaſſe.

IX. Sen-

IX. Sententiæ conceptæ, ut & cetera concluſa, poſt ſeſſionem, in Conſilio legantur. R. H. O. tit. 6. §. Die jenige. 4.

X. Deinde Referens & Correferens Relationem & Correlationem, cum rationibus decidendi, ſubſcribant, & , an per unanimia vel majora? ità concluſum ſit, annotent, & actis annectant, ut cum fortè ſententia, vel ex reſtitutione in integrum, reviſione, aut nullitate, impugnanda veniat, rationes judicandi adſint. *R. I. N.* §. Vorgehend dieſes. 15. *R. I. N.* §. Wann nun. 149. & §. 150. R. H. O. tit. 4. §. Es ſollen auch. 13. & §. ſo bald. 17.

XI. Utinam in omnibus judiciis decidendi rationes partibus communicarentur, ſæpè fœlicior foret juſtitiæ exitus, & calumniæ magis evitarentur.

XII. Quandoque enim Advocati frivolas cauſas fovent, obſcura obſcuris conglomerant, Referentemque ità vel confundunt, vel obruunt, ut præ tædio acta rejiciat, aut verò, cum fortè

ad ea referenda cogitur, caſum vel ignoranter, vel caſualiter figuret, & ad nullitatem ſeducatur, quandoque etiam, ut, in judiciis inferioribus adverti, judices corrumpunt, ut aliud pro alio præfigurent, & ex falſo ſuppoſito, falſaque cauſa verum fingant; ſicut Ulpianus atteſtatur, quando

L. Appellandi. 1. §. *Quæſitum eſt.* 1. *ff. de appellat. & relat.*

Interrogat: Quid enim ſi Referens in conſulendo mentitus eſt, ac porrò ex reſcripto divi Pii reſpondet: Si ſcripſerit quiſquam ad Nos, & illic aliquid reſcripſerimus, volenti ad ſententiam noſtram provocare permiſſum erit: Si enim docuerit, vel falſò, vel non ità ſe habere, quæ ſcripta ſunt, nihil à Nobis videbitur judicatum.

Ut autem vel error, vel malitia ejusmodi tantò magìs evitetur, Conſtantinus Imperator ſtatuit, ut relationes in cauſis, priusquàm ad Imperatorem fiant, Partibus communicentur.

L. Si quis. 1. *C. de Relat.*

Quo-

Quoties autem (ſunt verba legis) ad noſtram ſententiam judex ſe polliceatur relaturum, conſultationis exemplum litigatoribus ilico edi apud acta jubeat; ut, ſi cui fortè relatio minus plena vel contraria videatur, is refutatorias preces ſimiliter apud acta, ſinè aliqua fruſtratoria dilatione offerat. O Principem Divinum! quem & Imperatores Valentinus Gratianus, & Theodoſius aſſequuntur,

L. Singuli. 14. *C. de accuſat.*

XIII. Qui verò error ne in ſummis Imperii dicaſteriis fiat, jubentur, ſinè reſpectu religionis, aut perſonarum, ſed ſecundum Jura Imperii, Pacis Religioſæ, ac prophanæ conſtitutiones, item Inſtrumentum Pacis Weſtphalium judicare. Qui verò non ex juſtitia, ſed ex affectu judicâſſe compertus fuerit, is, præterquam, quod litem ſuam faciat, inſuper ſyndicatui ſubjiciatur. *R. I. N.* §. mehr ermeldtes. 157. imò & Deum & hominem, omnesque

 Spiri-

Spiritus ſibi habeant contrarios: uti ſupra *tit.* 4. §. 1. dictum eſt.

XIV. Expenſæ adjudicatæ, per duos Conſiliarios, vel domi, vel ante ſeſſionem in Conſilio examinentur, & taxentur, & quidem, ſi non una vice, ſaltem ſtatim poſtridie. *R. I. N.* §. Jngleichen. 154. eoque facto, Referens ex Officio faciat concluſum: Si Pars victrix ejusve Procurator ſpeciali mandato inſtructus juraverit, ſe potiùs plusquàm minùs expendiſſe, ſequetur ulterior reſolutio.

XV. Eo prævio, Procurator mandatum illud ſpeciale exhibeat, diemque & horam ad ejus præſtationem petat. Ad quod porrò decernatur: Admittatur ad juramentum in præſentia Partis adverſæ, ad videndum & audiendum citandæ proxima die N.

XVI. Hoc juramento præſtito, concluſum taxatorium expediatur, per modum ſententiæ vel decreti.

XVII. Denique Procurator allegct hoc concluſum, & petat reſcriptum ad

Judicem prioris inſtantiæ : in cauſis autem ſimplicis querelæ ad Magiſtratum victi ſeu vicinum, aut fortè directores circuli ad exequendum.

TITULUS LVII.

De Executione ſententiarum.

I.

QUemadmodum ſententiam ſequitur ejus executio, ità jam de hac dicendum, & primùm de exequenda ſententia judicis inferioris, ac porrò de ſententia Conſilii Imperialis Aulici.

II. Unde ſi Judex inferior ſententiæ ſuæ executionem fortè negligat, & Victor reſcriptum vel mandatum ad promovendam executionem petat, deque executione ter fruſtra petita docuerit, Referens precibus annuat.

III. Judex inferior, ſi tulerit ſententiam ſuper res ſub diverſis jurisdictionibus ſitas, per literas quidem ſubſidiales, Judices illos pro executione

requirere poteſt, ſi verò victor Imperatori pro executione ſupplicaverit, decerni poteſt reſcriptum vel mandatum cum clauſula ad Judices rerum exequendarum, uti petitum fuerit. *Bl. t. 37. n. 36. 37.*

IV. Si fortè Appellatus præveniendo contra Appellantem petat executionem ſententiæ à Judice inferiore latæ, Referens decernat: Ad acta, & ſi ſupplicans docuerit, quod ſententia tranſierit in rem judicatam & Judex inferior debitè imploratus executionem denegaverit, ſequetur ulterior reſolutio, uti tit. 46. de appellatione ordinaria. §. 33. dictum eſt.

V. Cum Arbiter juxta Juris ordinem procedens, vel Arbitrator, nullo juris ordine obſervato, ex æquo & bono judicans ſententiæ ſeu laudi executionem non habeant, & victor executionem deſideret, tunc, ſi laudum homologatum, & victus immediatus vel res exequendæ ſub diverſis jurisdictionibus ſitæ fuerint, victori re-

ſcriptum

ſcriptum vel mandatum de exequendo cum clauſula concedatur: Si verò exequendus mediatus fuerit, ad Judicem illius remittatur. *Bl. P. C. tit.* 42. *n.* 5.

VI. Si ſententia ab Auſtregis lata fuerit, cum nec hi jus exequendi habeant, ſupplicanti reſcriptum vel mandatum cum clauſula ad ſatis faciendum concedatur, & ulterius executivè procedatur. *Bl. P. C. t.* 42. *n.* 6.

VII. Si Judex Eccleſiaſticus Conſilium Imperiale Auſicum imploret pro brachio ſœculari; videndum, an dicat, 1. quod omnes Eccleſiaſticos cenſurarum gradus tentaverit. 2. quod Judices inferiores, ſi nimirùm exequendus non ſit immediatus, pro executione fruſtra imploraverit, hiſce præviis executio decernatur. *Bl. P. C. tit.* 42. *n.* 10.

VIII. In cauſis cambiorum fortè per appellationem devolutis, executio ſententiæ ne erga cautionem quidem inhibeatur. *R. I. N.* §. **als auch.** 107.

IX. Sententias Cæſareas verò quod concernit; ſinè diſcrimine Statuum executioni mandentur, juxta leges Imperii, in earumque executione ordo in Receſſu Imperii de anno 1555. præſcriptus obſervetur. *Cap. Leopold. & Joſ. art. 2. J. P. M.* §. 116.

X. Si itaque Victor executionem petierit, videndum eſt, an terminus in ſententia præfixus effluxerit, ſi namque lapſus ſit, nec victus juſtas quaſdam exceptiones, v.g. liquidæ compenſationis, aut ſolutionis intereà produxerit, nec de paritione docuerit, Referens victum, ad Victoris inſtantiam, in pœnam ſententiæ inſertam, ut & reſtitutionem damnorum & expenſarum condemnabit, & mandatum executoriale ſinè clauſula ad DucesCirculares, aut Magiſtratum Victi in executione forte negligentem, tam pro executione cauſæ principalis, quàm pœnæ decernet. *R. I. M.* §. wegen des *modi.* 15. §. in welchem *Termin* 160. *Bl. t.* 37. *n.* 36. 37.

XI. Si verò Principes Circulares ex juſtis cauſis exequi non poſſent, tunc vicinis Circulorum Ducibus executio demandetur, ſed ſumptibus exequendi, juxta modum præſcriptum. *in R. I. N.* §. wegen des *modi.* 15. *&* §. in welchem *Termin.* 160.

XII. Si condemnatus ſe executioni oppoſuerit, tunc ipſo facto in pœnam banni incidit, & Judex, ad Fiſci inſtantiam, contra eum citatum tamen priùs & auditum, ſinè ullo reſpectu, ad declarationem banni procedat. *R. I. N.* §. wegen des *modi* 15. *&* §. ob ſich aber 161.

XIII. Si autem victus inhibitoriæ ſententiæ non paruerit, & victor conqueratur, Referens declarabit victum in pœnam ſententiæ inſertam & decernet mandatum executoriale, ad condemnati Magiſtratum vel Circuli Duces, ad exequendam dictam pœnam, eique terminum brevem ad præſtandam cautionem de non amplius turbando, impediendo, excedendo vel attentando aſſignabit, & ſi non paruerit,

rit, in bannum procedet. *R. I. N.* §. **in Fällen.** 162.

XIV. Si condemnatus adhuc executioni ſe opponeret, neque cautionem in termino præſtaret, proptereaque in pœnam banni incideret, tunc in puncto declarationis pœnæ Banni procedatur, ſecundum præſcripta juris communis, conſtitutionum Imperii & præſertim *R. I. N.* §. **wegen des** *modi* 15. §. **In Fällen und Sachen.** 162. nec non Pacis inſtrumentum.

XV. Quantum ad ordinem & modum decernendi banni pertinet, *in J. P. O. art.* 8. *ut & I. P. M.* §. 64. Concluſum quidem eſt, quod deſuper in Comitiis deliberandum ſit, interea verò & eo usque ita procedatur, uti ordinatio Cameræ & Imperii Receſſus jubent. *R. I. N.* §. **In Fällen.** 162.

XVI. Cavendum tamen eſt, ne ullus Electorum, Principum, & Statuum, vel alius impoſterum inauditus & ſinè præſcitu, Conſilio & conſenſu Electorum facti haud participum in bannum & Rebannum declaretur, ſed

deſuper

deſuper ordinarius proceſſus obſervetur. *Cap. Leop. & Joſ. art.* 28.

XVII. Si verò factum plane ſit notorium, & Pacis violator in ſuo facinore perſeveret, proceſſu quidem opus non eſt, ſed nihilominùs Electoribus non intereſſatis ante banni declarationem communicetur &, ſinè expreſſo eorum conſenſu, declaratio non publicetur. *cap. Leop. & Joſ. art.* 28.

XVIII. Unde, quando die 20. Maji 1701. contra Mantuanum Patentes ad ſubditos decernebantur, ne Duci Mantuano ulteriùs obedirent, in iis bene dicebatur, veſtrum quondam Dominum. Quia ipſo facto feudum commiſerat, & vel ſubditis obſequium erga Ducem non erat inhibendum, vel dicendum quondam, qui namque Dominus adhuc eſt, ei obſequium regulariter denegari nequit. Deinde differentia eſt inter Italiæ Vaſallos & Imperii Status, de quibus ſolis capitulatio loquitur.

XIX. Cum bannitus & criminis læſæ Majeſtatis reus omnia perdat, e-

jus

jus bona illi Statui cedunt, ſub quo ſita ſunt, nec fiſco Cæſareo, nec alii Statui concedatur. *Cap. Leop. & Joſeph. art.* 27.

TITULUS LVIII.

De Reſtitutione in integrum & nullitatis Querela adverſus ſententiam Cæſaream.

I.

OMnibus, qui, per ſententiam Aulico-Imperialem, gravati ſunt, remedia, in integrum reſtitutionis, nullitatis & reviſionis, ſeu ſupplicationis ad Cæſarem competunt, vigore *Pacis Monaſterienſis art.* 5. §. *quoad Proceſſum* 20.

II. Et non malè: cum enim ab homine nihil humani alienum, errare verò humanum ſit, juſtum eſt, ut læſis ſuccuratur; ideoque ab Imperatore minùs benè informato ad eundem meliùs infor-

formandum, quocunque modo provocetur.

III. Unde ſi quis, adverſus ſententiam in Conſilio Imperiali Aulico latam, fortè de Nullitate conquerendi cauſam haberet, odioſo hoc nomine non utitur, ſed remedio reſtitutionis in integrum; utpote quod & commodius eſt & executionem ſiſtit. Poſtquam igitur aliquis hoc remedium inſtituerit, videat Referens, 1. An reſtituendus ipſemet, aut, per juratum Procuratorem cauſæ ſupplicet? 2. An intra quadriennium. 3. ſi Procurator intercedit, an mandatum ſpeciale ad jurandum in animam Principalis ſui producat, & ſe ipſum ad jurandum de calumnia offerat. 4. An juſtam reſtitutionis cauſam oſtendat, v. g. ex inſtrumento noviter repertô, vel aliis motivis antea non auditis, vel 5. ſi ſententia ex falſo ſuppoſito eſſet lata, aut aliàs nulla.

IV. Itaque ſi juſta cauſa videatur, Referens decernet: Admittatur ſupplicans ad juramentum, eoq; præ-

vio

vio communicetur libellus Parti Adverſæ ſub termino duorum menſium, & porrò procedet, ut in aliis proceſſibus S. Q.

V. Verùm quidem eſt, juramentum Calumniæ quoad hoc juris remedium in Conſilio Imperiali Aulico hucusque non eſſe practicatum, ſed, ſi Camera Imperialis ob reſpectum judicatorum ſuorum ità ſtatuit, per decreta communia *de* 7. *Julii* 1669. & 7. *Jul.* 1671. ſanè potiùs in ſupremo hoc judicio aulico ejusmodi juramentum præmittendum eſſe ratio dictat. *Blum. proc. t.* 78. *n.* 7.

VI. Ratio verò cur juramentum ejusmodi in Conſilio hoc practicatum non fuerit, illa eſſe videtur, quod non facilè concedatur, niſi error ſententiæ fortè ex falſo ſuppoſito latæ ſtatim appareat aut inſtrumentum noviter repertum precum veritatem comprobet.

VII. Nec etiam in ſententia reformatoria verbum nullitatis, utut hæc ſub Reſtitutionis beneficio pateat, nec etiam

etiam ſemper verbum reſtitutionis adhibentur, ſed compertâ rei veritate, ſimpliciter ſententia reformatur, ut in cauſa G. contra K. factum eſt; ubi, poſtquam inſtrumentum à K. productum die 7. Martii 1699. à majore parte, pro tali, quale prætendebatur, cognitum, poſtea vero ex parte Gr. contrarium demonſtratum fuerat, dicta prior ſententia de 7. Martii 1699. pro Gr. die 12. Octob. 1706. reformata fuit. Cum ſententia ex falſo ſuppoſito lata ſit ipſo jure nulla. *Mev. Conſ.* 5. *n.* 80.

TITULUS LIX.

De Reviſione ſententiæ Imperialis.

I.

LOco reviſionis, in Camera uſitatæ, in Conſilio Imperiali Aulico Pars gravata ad Imperatorem ſupplicare poterit, ut acta judicialia denuò, ad-

adhibitis aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis, &, in cauſis diverſarum religionum quidem ex utraque religione æquali numero, Conſiliariis, & qui conceptæ priori ſententiæ non interfuerint, revideantur. *I. P. O. art.* 5. §. 20. *verſu quoad proceſſum.*

II. In rebus arduis, ubi tranquillitas publica periclitatur, etiam Electores & Principes conſulantur. R. H. O. t. 5. §. dafern 6.

III. Ut igitur aliquis à ſententia Conſilii Imperialis Aulici gravatus beneficium reviſionis inſtituere valeat, ſequentia requiruntur: 1. Ut, intra quadrimeſtre continuum, à tempore latæ, & non inſinuatæ ſententiæ illud proponat.

2. Ut ſumma ſit reviſibilis, ſcilicet bis mille imperialium, ſinè cenſuum computatione, vel intereſſe. *R. I. N.* 1654. §. zu Abkürtzung. 127.

3. Ut Procurator ſupplicans mandatum exhibeat, à ſuo Principali ejusque advocato, ad jurandum in eorum animas.

4. Ut

4. Ut & ſemetipſum offerat, ad jurandum in animam ſuam.

5. Ut offerat ſportulas, & earum ſpecificationem petat.

6. Ut cauſa ità comparata ſit, unde de jure communi appellari poſſit. *R. I.* 1654. §. in Fällen/ da die 125.

7. Ut cauſa, in qua ab inferioribus Judiciis appellari nequit, per viam ſimplicis querelæ non fuerit introducta. *R. I.* 1654. §. zu Abkürzung. 127.

8. Ut libellum gravaminum, ſi porrigere velit, intra eundem terminum quadrimeſtrem exhibeat, & quidem breviter, ſummariter & diſtinctè conceptum, aut verò ſi intra dictum terminum, ob juſtum impedimentum, producere nequeat, illud debitè probet, & alium terminum petat. *R. I. N.* §. in Fällen. 125.

IV. Cum autem hoc beneficium reviſionis ſit odioſum, Referens non referet revidentis libellum, niſi lapſo quadrimeſtri, & ſi unum ex dictis requiſitis defuerit, Reviſionem uti deſer-

deſertam denegabit. *R. I. N.* §. 125.

V. His omnibus autem ità juſtificatis & præſtitis decernetur:

Si ſupplicans Procurator ſportulas OO. ad manus Secretarii intra duos menſes depoſuerit, tunc ad præſtandum, tam Principalis, & Advocati, quàm propriô nomine juramentum admittetur, eoque præſtitô, libellus gravaminum adverſæ Parti communicabitur.

VI. Si dictatæ ſportulæ nimis graves videantur, licet Revidenti earum petere diminutionem.

VII. Liceat etiam Revidenti, juſtis ex cauſis, dilationem, non quidem fatalis, ſed tantum termini ad exhibendum libellum gravaminum petere, citra præjudicium; dummodo intra quadrimeſtre ſe ad eundem obtulerit, ut in cauſa Lodronianæ primogenituræ factum eſt.

VIII. Cæterùm Reviſio executionem non ſiſtit, ſed tantum effectum devo-

devolutionis habet, hac tamen conditione, ut victor executionem petens priùs victo revidenti caveat de reſtituendo omnia in caſum ſuccumbentiæ.

IX. Poſtquam igitur cautionem in ſcriptis obtulit, communicetur parti victæ pro declaratione, num pro ſufficienti habeat? quam ſi adverſarius exhibuerit, & Revidens cautioni ſuæ inhæreat? in Judicis arbitrio erit, an videatur ſufficiens. *R. I. N.* §. nach Berathſchlagung. 124.

X. Et ſi fortè de cautione & caventis facultatibus dubium occurrerit; ad Principes circulares, Magiſtratus, aut Commiſſarios ſcribatur pro informatione. *R. I. N.* §. nach Berathſchlagung. 124.

XI. Hæc informatio, ſi Conſilio viſum fuerit, Partibus communicetur, & cuique parti ad ſummum unus terminus duorum menſium concedatur ad neceſſaria ſua in una tantum ſcriptura, deſuper agenda. *R. I. N.* §. nach Berathſchlagung. 124.

XII. Electores quoque & Pauperes pro Judicis arbitrio cavere debent. *R. I. N.* §. 124.

XIII. Cautione itaque ex æquo præſtitâ, Executioni locus ſit.

XIV. Si Revidens in judicio reviſorio cauſa cadit, vel à reviſione recedit eidemve renunciat, ſportulas inter Conſiliarios dividendas perdit, niſi, ante cœptam reviſionis deliberationem amicabilem compoſitionem, quàm reviſores intentare poterunt, inierit, aut à reviſione ſe deſiſtere denunciaverit. *R. I. N.* §. **Damit dann.** 126. §. **weniger nicht.** 133.

XV. Imò, repertâ magnâ temeritate, pars ejusque Advocatus & Procurator notabili pœna, &, ſi non habeant in ære, in corpore mulctentur. *R. I. N.* §. **damit dann** 126.

XVI. Quomodo autem cauſæ Camerales in reviſione pendentes expediendæ ſint, huc non pertinet, deque eo videatur. *Rec. I. N.* §. **Wie nun die überhäuffte** 128. & §. §. *ſeqq.*

TITULUS LX.

De Banni dictamine & abſolutione.

I.

QUomodo bannum in Camera & ſimiliter in Conſilio Imperiali pronunciandum, ac porrò, ſub dio, præſentibus Præſide, Conſiliariis & omnibus Procuratoribus, publicandum ſit. *Vid. Blum. Proc. tit.* 29. *à n.* 185. *& ſeqq.*

Quo verò ordine Elector Colonienſis Joſephus Clemens Bavariæ Princeps & Maximilianus Emanuel Elector Bavariæ die 29. April. 1706. ut & Ferdinandus Carolus Gonzaga, Dux Mantuæ & Montis ferrati die 30. Junii 1708. reſpective in Regalium & temporalium privationem, nec non Imperii bannum & rebannum ab Auguſto Cæſare Joſepho Viennæ condemnati, eorumque delicta juſſu Cæſaris ejusdem in Throno ſedentis ab Imperii

Vice-Cancellario D. Comite de Schönborn expoſita, ſententiæ ipſæ verò ab eodem Vice-Cancellario, Secretario porrectæ, & ab hoc porrò publicè coram Throno lectæ, nec non inveſtiturarum ultimarum literæ à dicto D. Vice-Cancellario Cæſari, diſerto Sermone exhibitæ, ac proinde à Cæſare laceratæ, poſtea verò ab Heroaldis Imperii planè diſcerptæ, & per feneſtras ventis abripiendæ ejectæ fuerint, ac denique quomodo iidem Heroaldi dictas banni & privationis ſententias ſtatim poſt in exteriori Aulæ Cæſareæ Area, auff dem Burg-Platz / & duobus foris, auff dem Graben und Neumarckt zu Wien / ſub Tubarum & tympani ſonitu, ter publicaverint, id in Protocollo Cæremoniali ſupremi aulæ Præfecti reperitur.

II. Si verò, quis in bannum condemnatus ab eodem abſolvi petat, attendat Referens, 1. an bannitus ipſemet ſupplicem libellum ſubſcripſerit? 2. an offenſo & læſo ſatisfecerit, reipſâ vel transactione. 3. An expenſas banni exe-

executori ſolverit? 4. An ratione delicti, Fiſco ſatisfecerit?

III. Hiſce requiſitis adimpletis, & rationibus ad abſolvendum ſufficientibus repertis, Referens faciet Votum ad Imperatorem, ac in illo rationes abſolvendi deducet, eoque concludet, jam ab Imperatoris benignitate ſtare, ut pro clementia ſua ſupplicantem abſolvat.

IV. Cui poſtquam Imperator annuerit, ad exemplum formalitatum in Camera Imperiali uſitatarum fit concluſum, ut bannitus, ſi vaſallus ex feudo majori, ſeu Fahn-Lehn / fuerit, coram ſua Sacra Cæſarea Majeſtate, ſe perſonaliter ſiſtat, & ante fores apertas duobus genibus flectat, iisque ità flexis irrepat, usque in medium conclave ſuæ Cæſareæ Majeſtatis in Throno ſedentis, ibidemque deprecetur, & abſolutionem à Vice-Cancellario, Cæſaris nomine pronunciandam audiat, eaque pronunciatâ ad pedem Throni flexus irrepat, & gratias agat, Vaſallus autem ex feudo minori, aut alius

non-Vaſallus perſonaliter coram Conſilio Imperiali Aulico publice foribus apertis in limine ſupplex, ſeu flexis genibus procumbens compareat, deprecetur, & abſolutionem à banno à Domino Præſide pronunciandam ipſe audiat.

V. Niſi ob gravem morbum, aliamve juſtam cauſam ſe impeditum legitimè probaverit, tunc enim per Procuratorem, & quidem non Conſilii Aulici juratum, ſed alium, mandatô ſpeciali ad id inſtructum, genibus flexis, procumbentem & deprecantem, id ità præſtari curabit. Cammer- *Concept. p. 2. tit. 19. in pr. & §. 1. & §. fin. Gail. 2. Pace publ. 18. N. 23. 24. 25. 26. 27. Blum. in ſentent.* Cammer. *N.* 425.

TITU-

TITULUS LXI.

De Inſinuatione Proceſſuum.

I.

PRoceſſus obtenti in cauſa planè nova, inſinuantur per Janitorem adverſæ partis Procuratori, ſi generali mandatô in alia cauſa producto, vel literis credentialibus inſtructus fuerit, juxta decretum de 1. Martii 1709.

II. Si verò Pars adverſa Procuratorem non habeat, proceſſus per Notarios & teſtes inſinuantur, qui ab omnibus debita cum reverentia acceptentur. *R. I. N.* §. Damit aber. 165.

III. Verùm in curſu proceſſûs, Partes & Procuratores ſcripta, decreta, concluſa, vel reſcripta ſub pœna duarum marcarum argenti & caſſationis, ſibi invicem inſinuare, aut pro inſinuatis habere nequeunt, ſed per Janitorem pro mercede præſcriptâ, adverſariis eorumve Procuratoribus inſinuanda

curare debent. *R. I. N.* §. Dieſem nechſt. 34. §. Damit aber. 165. *Decret. Cæſ. de 6. April.* 1663.

IV. Ubi cauſæ ſunt difficilioris inſinuationis, tunc Partes earumve Procuratores curent obtentos proceſſus, vel reſcripta per Janitorem Officio Imperiali poſtæ tradi, & correſpondentiæ inſeri, deque eo atteſtatum, ſeu documentum ab officio illo, & Janitore ſignatum ſibi dari.

V. Quod etiam tunc juſtum eſt, cum Agentes & Procuratores reſcripta de ſolvendo ſibi ſalario impetrant, ne majoribus ſumptibus illa in partibus inſinuare debeant.

VI. Si quis obtineat pro ſe termini prorogationem non tenetur illam Adverſario communicare.

VII. Si quis autem urgeat contumaciam Adverſario non comparente, tunc terminus ulterior ex officio datus ipſi inſinuari debet, aliàs ad ulteriorem inſtantiam decernetur, ſi ſupplicans de inſinuatione ulterioris termini docuerit, ſequetur quod juris.

TITU-

TITULUS LXII.

De Eccleſiaſticis.

I.

CUm Curia Romana quandoque ſe in res temporales immiſceat, atque etiam in conferendis beneficiis aliisque contra leges Imperii procedere viſa fuerit, neceſſe duxi, de illis, ex concordatis inter ſummum Pontificem Nicolaum V. & Germaniam, anno milleſimo quadringenteſimo octavo, initis & Imperii conſtitutionibus, potiſſima recenſere.

II. Papa Patriarchales, Archi-Epiſcopales, Epiſcopales Eccleſias, dignitates & beneficia apud Apoſtolicam ſedem vacantia & vacatura ſibi reſervat, cum Conſilio Cardinalium conferenda. *Concord. Germ.*

III. Dignitates autem in Germania majores in Collegiatis Eccleſiis Papa conferat; ſed non in Eccleſiis Cathedralibus. *Concord. Germ.*

IV. Omnia beneficia, in Eccleſiis Cathedralibus, non ultra 24. ducatos annuorum redditυum, & quotidianarum diſtributionum, ſunt taxata, ideoque nec ſub rogationum, nec penſionum, nec annatarum nomine gravari poſſunt. Concord. Germ.

V. Nec Annatæ de beneficiis ſolvantur, quorum fructus non excedunt valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera. *Concord. German.*

VI. Annatæ de dignitatibus perſonalibus, officiis & beneficiis ſecularibus, & regularibus, de quibus Papa providet, ſolventur tantùm pro mediis fructibus infra annum à tempore poſſeſſionis, & ſi inter annum rurſus & ſæpius vacaret, ſucceſſor ultra taxæ ſolutæ reſiduum non obligabitur. *Concord. Germ.*

VII. Annatæ ſolvendæ de Eccleſiis Cathedralibus & Monaſteriis virorum, juxta fructus primi anni à die vacationis, qui communia ſervitia vocantur, & ad libras Cameræ Apoſtoli-

cæ

cæ taxantur, ſecundum qualitatem rerum, temporum & regionum, per Commiſſarios examinandam. *Concord. Germ.*

VIII. Menſes Papales ſunt Januarius, Martius, Majus, Julius, September & November, in quibus ſi vacant beneficia ſedi Apoſtolicæ reſervata, Papa intra tres menſes providebit; ſi verò interea non providerit, jus providendi Ordinarius habebit. *Concord. Germ.*

IX. Menſes Papales currant à die vacantis beneficii, ſedi Apoſtolicæ noti, intra quos proviſus etiam ſuam proviſionem in loco beneficii notificet. *vid. Concordata Germaniæ & declarationem, ſeu Diploma Papæ Gregorii* XIII. *de* 1. *Novembr.* 1576.

X. Menſes Papales, ubi in Capitulis utriusque religionis in uſu ſunt, obſerventur etiam impoſterum, dummodo Papalis proviſio in Catholicum immediatè capitulis tempore legitimò inſinuetur. *I. P. O. art.* 5. §. *In quorum autem.* §. *omnia quoque.*

XI. Sedi Apoſtolicæ de beneficiis ad ſe non devolutis, aut contra Germanicæ Nobilitatis vetuſtiſſima jura, Proviſio non competit.

XII. De Monialium Monaſteriis Papa non diſponet, niſi ſint exempta, & tunc quidem per Commiſſarios. *Concord. Germ.*

XIII. Primas preces ideo ſic vocari voluit curia Romana, ac ſi forte unus aut alter Electus Romanorum Imperator aut Rex ſe à Papa confirmari ſeu coronari & pro prima vice hanc benevolentiam unà rogâſſet, ut in omnibus Imperii capitulis prima deinde vacantia beneficia conferre poſſet, ſed illæ Imperatori ſeu Regi Romanorum velut Eccleſiæ Advocato & Patrono ex officio, & non ex Papæ indulgentia debentur, & ita vocantur, quod hæ ſubditorum benè meritorum primæ preces fuiſſe conſveverint, quibus Imperatores pro ſua benignitate annuere voluerint, prout apparet ex *I.P.O. art.* 5. ubi Status Imperii hoc jus Imperatori competere agnoſcunt. Neque enim Impe-

Imperatorum unquam fuit à Papis confirmari, utpotè qui olim, à ſolo Imperatore conſtituebantur, porrò à Populo, ac deniquè à Cardinalibus eligebantur & ab Imperatoribus confirmabantur, paulatim autem per temporum injurias ſe ab Imperatorum authoritate viâ facti exemerunt. *vide Hiſtoricos paſſim omnes.*

XIV. Primas preces Imperator ità exerceat, ut in locum defuncti alius ejusdem religionis ſurrogetur. *I. P. O. art.* 5. §. *ubi Sac. Cæſar. Majeſt.*

XV. Monaſteria & fundationes unius ordinis non dentur alii ordini, niſi prior ordo planè interciderit. *I. P. O. art.* 5. §. *omnia quoque.*

XVI. Nobiles, Patritii & gradibus Academicis inſigniti, aliæque perſonæ, ubi id fundationibus non adverſatur, ab Eccleſiis Cathedralibus non excludantur, ſed potiùs opera detur, ut in iis conſerventur. *I. P. O. art.* 5. §. *in omnibus.*

XVII. Expectativa vel alia diſpoſitio Apoſtolica ſuper dignitatibus &

beneficiis, de quibus jure non ordinario per inferiores providetur, non impediet, quo minùs de iis, cum in menſibus Febr. April. Junii, Auguſt. Octob. & Decembris vacaverint, libere diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet. *Concord. Germ.*

XVIII. Expectativa gratiæ ad beneficia regularia Papæ eſt permiſſa. *Concord. Germ.*

XIX. A ſede Apoſtolica accuſati Archi-& Epiſcopi in Imperio, ſinè prævia informatione rerum (ne ſub-et obreptio contra facti veritatem locum teneat) aut auditâ tantùm parte adversâ, monitoriis, interdictis & comminationibus vel declarationibus cenſurarum non præcipitentur, aut graventur, maximè quando authoritate paſtorali ad conſervationem & augmentum Eccleſiæ in obedientes repræhendunt. *cap. Joſ. art.* 18.

XX. Si verò Curia Romana contra jura ſuperius recenſita aliquid ſtatuat

tuat, & contra quosdam fulminet, Imperator utpotè, cum non modo ſit Eccleſiæ Advocatus, ſed & Imperii defenſor, ad Partis conquerentis inſtantiam, petita reſcripta ad ſuam Sanctitatem, Cardinales Legatosque & Miniſtros ſuos in contrarium decernere, atque officiis ſuis, brachiumque ſeculare denegando, ejusmodi violentiis reniti debet, maximè cum Partes in cauſis Civilibus, ad Judices Eccleſiaſticos indeque ad Nuncios Apoſtolicos, imò ad Romanam Curiam provocant, adeò, ut Conſilium Imperiale Aulicum & Camera Imperialis, ejusmodi provocantes mandatis & graviſſimis pœnis ab ejusmodi provocationibus & evocationibus abſterrere, & eodem modô procedere debeant, ſicut adverſus Pacifragos Imperii. *Cap. Joſeph. art.* 18. *R. I. N.* §. **ob ſich dann** 154.

TITU-

TITULUS LXIII.

De Praxi Cancellariæ.

I.

SI quis gratiam quandam ab Imperatore petat, quæ diſcuſſione Judiciali indigeat, ſupplicans libellum ſuum in Conſilio Imperiali Aulico producere debet; ſi verò cognitione judiciali non indigeat, illum vel in eodem Conſilio, vel potius ſeorſum vice-Cancellario Imperii exhibere poteſt, qui illum ſuæ Cæſareæ Majeſtati unà cum meritis, vel ipſemet ſeorſim explicabit, vel per Secretarium expeditionis referri, ac deinde ſecundùm clementiſſimam ejus reſolutionem, in Cancellaria expediri curabit.

II. Si autem impetrans fortè obtentam gratiam porrò neglexerit, nec intra tres menſes taxam ſolverit, gratia caſſata habebitur. *Cap. Joſ. art.* 44.

III. Expediuntur autem Diplomata, ſub appendente Aurea Bulla, vel ſigillo

ſigillo majore, illa auro imprimitur nec in ulla alia Cancellaria uſurpatur, quam ſola Imperiali Aulica, utpotè venuſtiſſimum & vetuſtiſſimum Imperii Romani inſigne. *Reſol. Ferd.* 3. §. 11.

IV. Nec Principum, Comitum, Baronum dignitates aliæve majores aliunde quam à ſolo Imperatore, nec ex alia quam Imperiali Aulica Cancellaria conferri poſſunt. *Cap. Joſeph. art.* 44. 45.

V. Judicialia in Conſilio reſoluta, illo finito, Secretarii ſumunt, eorumque rubricas cancellis ſuis affigunt, ut Procuratores eorumvé Amanuenſes indagent, quanam in cauſa quid fuerit decretum.

VI. Deinde ipſis edantur duplicata adverſario inſinuanda, cùm inſcripto decreto; & ſi fortè proceſſus, v. g. mandata, appellationes, reſcripta aliavé decreta fuerint, eorum expeditiones urgendæ ſunt: 1. Penes cauſæ ſecretarium, ut concipiantur. 2. In Cancellaria ut propediem ſcribantur.

3. Erga

3. Erga jurium ſolutionem, vel penes Secretarium vel in officio Taxæ releventur Partibus tranſmittendæ, aut Adverſariis inſinuandæ.

VII. Pauperes verò, qui nimirum ultra bis mille florenos in facultatibus, ſe non habere jurant, nihil ſolvunt, niſi poſt evictum proceſſum, aut poſtquàm ad meliorem fortunam pervenerint. *R. I. N.* §. Viertens 112.

VIII. Si procuratores integrum protocollum memorialibus eo, quem ſupra tit. 4. 5. 35. 36. & infra tit. 64. §. 39. ſuggeſſi, modo adjunxerint, Secretarius illa ipſis, unà cum extractu Protocolli ſtatim reſtitui faciat.

IX. Cœterùm cum Procuratores & Agentes obtentos proceſſus, decreta, Reſcripta, Mandata, aliaque Judicialia ſæpè inexpedita relinquant, donec à Principalibus pecunias neceſſarias, reſolutionemvé ulteriorem recipiant, nihil etiam in Cancellaria concipietur, nec expedietur, ſed Secretarius tum demum, cùm expeditionem urgere cœperint, quàm fieri poteſt celer-

celerrimè, & ad ſummum intra quatuordecim dies expediet. R. H. O. *tit.* 6. §. 7. Et reſcripta quidem ſigillo Cæſareo ſibi concredito ſigillabit, & erga taxam, vice ſalarii, ſibi debitam partibus edet. Reichs-Hoff-Cantzley-Ordnung. *Maximil.* 2. *art.* vom *Taxatoren* §. was dann auch.

X. Protonotarius nulli extractum protocolli rerum exhibitarum edat, niſi in propria ſupplicantis cauſa. R. H. O. *t.* 3. §. 15.

XI. Documenta & mandata procuratoria non à Notario Imperiali nec ab alio, quàm vel Imperii Statu ejusve Cancellaria vel ab Archivario, ſeu Regiſtratore Imperiali Aulico vidimata admittantur in Conſilio Imperiali Aulico. R. H. O. *tit.* 3. §. geſtalten auch die *Agenten.* 6. *item. Reſol. Ferd.* 2. §. 5. *& decret. de* 26. *Maji* 1671.

XII. Quæ vel ex officio, vel in cauſis Cæſarem aut publicum concernentibus expedita ſunt, ex officio Taxæ

ad

ad Poſtæ officium mittantur, inque Taxæ Regiſtris notentur. Reichs-Hoff-Cantzley-Ordnung *Maximil.* 2. *art.* vom *Taxatorn* §. was demnach.

XIII. Taxa inveſtituræ ſolvatur intra menſem à die admiſſionis ad juramentum ſub pœna caſſationis, nec vaſallus ad hoc ante ſolutionem admittatur. *decret. de* 13. *Aug.* 1659.

XIV. Regiſtratura acta, in quibus ſubmiſſum eſt, pergameno compingi faciat ſumptibus Partium. *Reſ. Ferd.* 2. §. 13.

TITULUS LXIV.

De Agentum Officio.

I.

AGentiam Conſilii Imperialis Aulici deſiderans nulli alii Jurisdictioni ſit ſubjectus, unde nec aliquis ſubditorum Auſtriacorum in Agentem Procuratorem, aut ſollicitatorem citra præſcitum, aut ſingularem licentiam

am Cæſaris velut Archi-Ducis recipiatur, nec alii jurisdictioni ſe ſubjiciat; ſicut enim Conſiliarii cæterique huic Conſilio ſubjecti ab omni jurisdictione & præſtatione perſonali eximuntur, ità intereſt Archi-Ducis, ut ſciat quis eximatur, quod in Conſiliariis & Cancellariæ perſonis ideo ſecus eſt, quia Agentes à ſolo Præſide cum vice-Cancellarii præſcitu admittuntur, Conſiliarii verò & Cancellariæ perſonæ ab Archiduce, utpotè pro nunc ſimul etiam Imperatore, aſſumuntur, eoque ſimul à perſonalibus oneribus eximuntur R. H. O. *tit.* 7. §. Wir haben uns aber hiebey 4. Item *decret. notificatorio ex Cancell. Auſt. de* 5. *Jan.* 1653. *decret. de* 11. *Junii* 1674.

II Agentium in rebus agentium numerus non ſit ultra 24. aut ad ſummum 30. R. H. O. *in princ. tit.* 7. *in medic.*

III. Agentiam prætendens Sacræ Cæſareæ Majeſtati in Conſilio ejusdem Imperiali Aulico ſupplicare in libello ſuo nativitatis & patriæ, nec non ſtudio-

diorum & praxeos documenta exhibere debet, &, ſi Præſidi admitti viſus fuerit, ejus juſſu & vice-Cancellarii præſcitu, à duobus Conſiliariis examinetur; an legitimè natus? ac bonis moribus rerumque Imperialium experientia probatus, & praxis Conſilii Imperialis Aulici gnarus ſit? R.H.O. *tit.* 7. *in princ. ord. proceſſ. Ferd.* 2. §. 2. & 3.

IV. Examine finito, Conſiliarii de qualitatibus candidati in pleno Conſilio, unà cum voto referant, cumque habilis judicatus fuerit, admittatur ad juramentum. R.H.O. *tit.* 7. §. nach ſolchem 2.

V. Ad Agentiam admiſſus juret 1. ſe nolle quærere periculoſas dilationes. 2. nec partibus ejusmodi dilationes conſulere. 3. nec cum illis de quota litis paciſci. 4. Nec Partium ſuarum ſecreta aliis patefacere. 5. nec à Partibus ſuis nimium ſalarium extorquere. 6. nec illas ſinè juſta cauſa deſerere, ſed usque ad finem defendere. 7. nulla Conſilii ſecreta Partibus ſuis patefacere.

8. Con-

8. Conſiliariis, Secretariis, & Cancellariæ perſonis pro cujusque ſtatûs qualilate reverentiam & honorem habere & ſervire. R. H. O. *tit.* 7. §. und ſollen ſich. 3. *ordin. proceſſ. Ferdin.* 2. §.4. & 5. *decret. Leopold.* 4. *Novemb.* 1667.

VI. Præſtito juramento Neo-Agentis nomen & Patria per Secretarium in protocollo, ut & in ſingulari Cancellariæ libro notetur.

VII. Agentes nullibi niſi coram Aulæ Mareſchallo Imperiali agere, ſeu patrocinari poſſunt. R. H. O. *tit.* 1. §. wir ſollen 4.

VIII. Agentes literas aut ſcripta vel clauſa vel aperta in cauſis publicis exhibeant vice-Cancellario; judicialia verò Præſidi, & quidem ſi clauſa ſunt, notent in dorſo, quam cauſam concernant, & ſuum Agentis nomen.

IX. Nemo ad cauſam contentioſam admittatur, niſi Agens juratus aut, qui per Electores Principes, aut Status Imperii ſpecialiter ad Aulam Cæſaream miſſi fuerint. R. H. O. *tit.* 7. §.

da

da auch ein Chur-Fürſt. 8. *ord. proc. Ferd.* 2. §. 1.

X. Electorum Principum & Statuum Agentes, examine tantum excepto, æque ac alii Agentes ordinationi Conſilii ſubjecti ſint, eademque in omnibus ſervent, nec à Conſilio, niſi quodam cum ſufficienti mandato adacta ſubſtituto, recedant, idque priùs Conſilio notificent. R. H. O. *tit.* 7. §. da auch ein Chur-Fürſt. 8.

XI. Status alicujus Agens ſpecialis in aliis negotiis ſuum Principalem non concernentibus non admittatur, niſi ſpeciali Principalis ſui licentiâ, ab alio Imperii Statu conſtitutus fuerit. R. H. O. *t.* 7. §. Es ſoll auch 9.

XII. Agentes iſtiusmodi liberam quoque ſicut Conſiliarii habeant Religionem Catholicam & Auguſtanam. R. H. O. *t.* 7. §. Es ſoll auch 9.

XIII. Gaudeant Agentes etiam æque ac ab Imperii Statibus miſſi eodem privilegio & immunitate, quo ipſummet Conſilium Imperiale Aulicum.

XIV. Sequantur etiam continuo Aulam ſeu Reſidentiam Cæſaream & Conſilium Imperiale Aulicum. R. H. O. *t.* 7. §. Wir haben uns *ad fin.* 4.

XV. Agentes eorumque Amanuenſes & illi quidem ſub comminatione ſuſpenſionis ab officio, hi carceris pœna Regiſtraturam & Cancellariam, ſinè pulſato priùs oſtio, ne ingrediantur, nec aliter quàm reverenter, detecto capite, nec ultra cancellos progrediantur, nec ullam ſcripturarum communicationem absque decreto ſeu permiſſione ſuperiorum petant, multò minùs impetrent, nec ullam correſpondentiam cum Cancellariæ perſonis habeant, ſed expeditiones locis debitis, poſt Conſilium in Secretariorum ædibus urgeant. R. H. O. *tit.* 7. §. So ſoll bey. 13. *Ordin. Proceſſ. Ferd. II.* §. 10. *Decret. de* 11. *Januarii* 1679. *Decr. de* 17. *&* 28. *Julii* 1681.

XVI. Nec Referentium vota explorent, atque ab eorum corruptione abſtineant. R. H. O. *tit.* 7. §. So ſollen auch alle. 10. *Ord. Proceſſ. Ferd.*

M *II.*

II. §. 7. *Decret. de* 23. *Novembr.* 1676.

XVII. Imò ſecreta forte explorata nemini pandant, & à correſpondentiis ſuſpectis abſtineant. R. H. O. *tit.* 7. §. Da ſie auch einige. 11. *Ord. Proc. Ferd. II.* §. 8.

XVIII. Nec inquirant in alienas Scripturas penes protocollum rerum exhibitarum ſub pœna ſuſpenſionis ab officio. *Decret. de* 11. *Junii.* 1674.

XIX. Non prohibentur tamen Præſidem & Conſiliarios informare, ſed brevibus, &, ſi informationes ſcriptas offerunt, non attendantur, niſi in quantum actis ſunt conformes. R. H. O. *tit.* 7. §. Ferner ſollen die. 12. *Ord. Proc. Ferd. II.* §. 9.

XX. Non immiſceant ſe in cauſas Fiſcales, ſinè ſpeciali mandato. *Decret.* 22. *Octobr.* 1660.

XXI. Si Conſilii Aulici Ordinationi contravenerint, negligentesve fuerint, cauſasque protraxerint, pro delictorum qualitate mulctentur. R. H. O. *tit.* 7. §. 12. *Ord. Proc. Ferd. II.* §. 11.

XXII.

XXII. Non ſuſcipiant ſubſtitutionis mandata, niſi a juratis Agentibus *Decr.* 15. *Octobr.* 1665. imò nullus ſubſtitutus admittatur ad recipiendam inveſtituram, pro vaſallo, niſi ab ipſo principali ſit conſtitutus.

XXIII. Nullus Agens aut Procurator admittatur ad agendum in cauſa, niſi priùs mandatum generale, vel ſpeciale in originali, vel copia à Regiſtratore vidimata, & à ſubſtituto ſubſcripta exhibuerit, vel de eo proximè exhibendo caverit. R. H. O. *tit.* 7. §. Gleicher Geſtalt. 7. *Ord. Proc. Ferd. II.* §. 6. *Decret.* 26. *Maji.* 1671. Illudque porrò etiam in ſuum principalem ejusque hæredes conceptum, cum reproductione proceſſuum in originali, vel ſi generale, in aliis proceſſibus ad omnes cauſas jam productum fuerit, in copia ſignata, id eſt, per Regiſtratorem collationata, & in cauſis quidem appellationum, cum clauſula de ulterioribus, & novis adducendis, in primo termino exhibeat, exceptis tamen cauſis ſpecialia mandata requirentibus. R. H. O.

 tit. 3.

tit. 3. §. Geſtalten auch die Agenten. 6. *Item Decret.* 26. *Maji* 1671. *R. I. N.* §. Beynebens bleibt. 35. §. So dann ſollen. 42. §. damit auch. 99. §. als auch. 100. §. und demnach. 101. §. zumahlen. 118.

XXIV. Mandata procuratoria, vel ipſa pars ſubſcribat, vel ſi hæc literarum eſt ignara, à Magiſtratu, ſeu præfecto ſuo, vel alia perſona publica, & in horum defectum, ab aliis duobus bonæ famæ viris ſubſcribi curet, idque ità factum eſſe in libello ſuo exprimat. *R. I. N.* §. über das. *verſ.* damit auch. 43.

XXV. Si quis caverit de rato & mandato, & in termino reproductionis mandatum promiſſum non produxerit, in cauſa S. Q. terminus circumducitur, in cauſa appellationis verò abſolvitur appellatus à citatione. *Bl. P. C. tit.* 67. *n.* 58. *tit.* 76. *n.* 42. *&* 63. & Agens mulctatur. *Decret. de* 7. *Decemb.* 1708.

XXVI. Si nomine Tutorum agit, producat, non modò Procuratorium à Tutoribus, ſed & Tutorium, aut ſi illud

in

inConſilioImperialiAulico confirmatum fuerit, ſe referat ad protocollum, ejusque extractum producat. *Bl. P. C. tit.* 67. *n.* 40. 43. 44. 45.

XXVII. Agens, donec mandatum porrexerit, non ſubſcribat ſe mandatarium, nec in protocollis nominetur mandatarius, ſed impetrantis, vel impetrati nomine N. N. idque ideo, primo, ante mandati exhibitionem reverâ, necdum eſt mandatarius, nec Procurator, ſed negotiorum geſtor: nec Pars principalis pro præſente habetur. 2. Ut Referens in omni exhibito videat, Agentem nondum eſſe legitimatum ad cauſam.

XXVIII. Si Pars principalis, cauſa pendente, moritur, ejus Procurator, uti ſupra dictum, intra tres menſes, obitum Conſilio Imperiali Aulico notificet, & hæredes nominet. *R. I. N.* §. **Damit auch.** *99.*

XXIX. Agentes producenda judicialia ante exhibitionem diligenter revideant, corrigant, maximè Italica & Burgundica, claro charactere, (ne aliàs

ab actis removeantur) ſcribi curent, à verboſitatibus, & injurioſis abſtineant, & Scripturas informes partibus corrigendas remittant. R. H. O. *tit.* 3. §. welcher vornehmlich. 5. *tit.* 6. §. eine jedwede Parthey. 9. *tit.* 7. §. weiters ſollen. 5. *Decret. de* 23. *Novembr.* 1676. *Ordin. Proceſſ. Ferd. II.* §. 6.

XXX. Supplicationes præſcripto modo plicent. *Decr.* 9. *Novembr.* 1708. & dimidiâ horâ ante finem, imò, ad impediendos multos errores, ante initium Conſilii per famulum judicii exhibeant. R. H. O. *tit.* 3. *in princ.*

XXXI. Producenda, id eſt, ſupplicationes & memorialia, debite pleno præ- & cognomine, & an Impetrans vel Impetratus, an Appellans vel Appellatus ſit, ſe ſubſcribant & in duplo exhibeant, quorum unum Parti adverſæ communicetur, alterum apud acta in regiſtratura ſervetur. R. H. O. *tit.* 3. §. Damit auch. 1. *ac tit.* 6. §. eine jedwede Parthey. 9. mallem exhiberi in triplo pro Re- & Correferente,

ferente, ut & parte adverſa, imò potiùs Scripturas ſaltem eſſentiales, pro omnibus Conſiliariis in typo uti Romæ, ut, dum cauſa refertur, omnes Conſiliarii acta unà cum referentibus legere poſſent, quod certè non pluris conſtaret, quàm deſcriptio calamaris, & plurimùm prodeſſet Parti juſta petenti.

XXXII. Sciendum etiam eſt, quod in cauſis appellationis Actor dicatur, Appellans, & Reus Appellatus: in cauſis autem mandati, citationis & reſcripti Actor nominetur, Impetrans, & Reus Impetratus: in cauſis verò, ubi adhuc nullus proceſſus decretus fuerit, Actor nominetur, Implorans, & Reus Imploratus; quodque in omnibus rubricis Actor, ſemper ſit præponendus, etiam ſi Reus ſupplicet, v. gr. libellus ſupplex Titii contra Cajum mandati. Si poſtea impetratus Cajus producit exceptionem, rubricetur: Exceptio Caji impetrati in cauſa Titii contra Cajum, man-

dati, reſcripti, citationis vel appellationis.

XXXIII. Imò, ſi cauſa poſteà mutetur, v. gr. ſi cauſa appellationis poſt ſententiam mutetur in cauſam reviſionis, vel reſtitutionis in integrum: ità, ut appellans fiat Reus; tamen prima rubrica ſemper manebit. v. g. Titius appellans contra Cajum Appellatum, nunc Cajus impetrans contra Titium impetratum reviſionis &c. & hæc ideo ſic, ne fiat confuſio in protocollis & regiſtratura. *Decret.* 7. *Dec.* 1708.

XXXIV. Notandum quod, dum incidenter & præliminariter reſcribitur pro informatione, propterea tamen, nec in rubro ulteriorum memorialium, nec in protocollo dicatur, aut punctetur, Reſcripti, cum ideo non ſit cauſa reſcripti; ſed maneat cauſa talis, qualis eſt, introducta: unde ſi quis in primo libello petierit Citationem, Mandatum, vel Proceſſus appellationis, & deſuper præliminariter reſcribatur pro informatione, tunc nec in rubro ulteriorum memoralium, nec

in

in protocollo aliter notetur, quam in puncto petitæ citationis, mandati, vel appellationis, omiſſo verbo, Reſcripti, quia propterea, quod præliminariter reſcribatur, non eſt cauſa reſcripti: nam cauſa reſcripti illa verè eſt, cum decernitur reſcriptum, contra aut ad partem adverſariam, ad dandum, faciendum, vel omittendum aliquid.

XXXV. Poſtquam verò proceſſus petiti decreti fuerint, non amplius dicatur, in puncto mandati, vel appellationnis, ſed omittantur verba, in puncto, & ſimpliciter dicatur, Mandati, citationis vel appellationis.

XXXVI. Deinde agentes Scripturas, non uti ab Advocatis rubricatas, ſed juxta proceſſus ordinem, id eſt, Exceptiones, Replicas, Duplicas, Triplicas, Quadruplicas &c. inſcribant, addantque, in quo puncto, ſub pœna *Decret.* 4. *Novembr.* 1667.

XXXVII. Præter rubricam etiam petitum in rubro annotent. *R. I. N.* §. **wenigers nichts.** 102.

XXXVIII. Adjuncta libellis aſſuant. *Decret.* 22. *Septembr.* 1671.

XXXIX. Ultima concluſa, imò totum protocollum in omnibus memorialibus allegent, ac porrò à Secretariis recipiant, omnibus ulterioribus ſemper & usque ad finem proceſſus annectenda, ne opus ſit acta toties ex Regiſtratura repetere, & Janitorem ab Oſtii cuſtodia avertere. *Reſol. Ferd. II.* §. 7. *&* *Decret. de* 7. *Decembr.* 1708.

XL. Si Actor ſua adjuncta numeris ſignaverit, Reus ſua literis ſignet, & vice verſa, & ità quidem, ne unus numerus, aut litera reiteretur in toto proceſſu. R. J. O. *tit.* 3. §. Es ſollen auch. 2. Deinde omnia adjuncta ad marginem libelli annotent.

XLI. Agentes duplicata ſupplicationum à Secretario collationari curent, ante eorum inſinuationem; cum enim ſcripta principalia, quæ penes acta manent, plus aut minus continere poſſint, quam duplicata, ità ut Reus ad ea non reſpondendo approbare ſupponatur, ideò hæc conſtitutio ſanctè obſer-

obſervetur; & hæc eſt etiam ratio, cur omnia ſcripta ſaltem principalia, uti dixi, typis mandanda forent. *Reſol. Ferd. II.*

XLII. Agentes acta omnia omnium inſtantiarum in copiis penes ſe habeant, & in facto ſint optimè inſtructi, ut ex actis ſemper poſſint informare. *R. I. N.* §. Wolte er aber. 65.

XLIII. Ad actorum inrotulationes & publicationes Agentes ipſimet in termino præfixo compareant, niſi juſtam cauſam probaverint, & ſubſtitutum à Principali approbatum, non verò alium quemcunque mandaverint. *Decr.* 10. *Maji* 1667. *Decret.* 2. *Junii* 1681. *Decret.* 7. *Decembr.* 1708.

XLIV. Acta inrotulent juxta protocollum. *Reſ. Ferd. II.* §. 16.

XLV. Inſinuanda, ſeu communicanda non differant ultra triduum, aut ſi in Cancellaria deſcribenda ſunt, non ultra octiduum. *Reſol. Ferd. II.* §. 4. *Decret.* 7. *Decembr.* 1708.

